IOANNIS DALLÆI

DE FIDEI EX SCRIPTVRIS Demonstratione,

Adversus Novam quorumdam LATINORVM *Methodum*

DISPVTATIO;

Ab Auctore recognita, emendata, aucta, & Latinè ex Gallico reddita.

Adjecti sunt de simili argumento duo insignes THEODORETI, vetustissimi ex quinto Christianismi sæculo Episcopi, sermones, sive libelli.

ROM. X. 17. *Fides ex auditu; auditus autem per verbum* CHRISTI.



GENEVÆ,
Sumpt. I. Antonii & Samuelis de Tournes.
M. DC. LX.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CVM vir eruditissimus, & sanctæ in Ecclesiis nostris memoriæ David Blondellus, *hoc opusculum suo hortatu & rogatu Latinè ex Gallico interpretatum ab auctore aliquot ante obitum mensibus accepisset, præloque destinasset, in ejus quam parabat, editionem paucis ad Lectorem præfatus erat. Eam nos præfationem in Schedis, ex quibus libellum excudimus; ipsius* Blondelli *manu descriptam nacti, hic in limine exhibendam censuimus, ne vel opus honorifico viri magni testimonio, vel lectorem haudquaquam inutili admonitione fraudaremus.*

LECTORI CHRISTIANO,
David Blondellus S.

AD fraudis, dolique mali non tam suspicionem, quam certum indicium piis animabus faciendum plus satis erat, quod in Romana communione ii, qui omnium maximè annosi videri volunt, canam ubique ac primordialem antiquitatem spirare, Patres quasi juratos sententiæ suæ vindices advocare, Protestantes *novatoribus* quavis data occasione accensere, iisque nova omnia (quasi nihil non nuperum sentiant) affingere amant, *Methodum* tam re ipsa, quam confessione propria novam jactabundi

(velut in priorum omnium Apoſtolici traducis retinentiorum Fidelium deſpectum) Chriſtiano orbi nunc obtrudant: neque temerarium iſtud ſuum molimen, quo mentis humanæ in religionis rebus dignoſcendis & retinendis conatum omnem abſolute ſublatum volunt, Deo ipſi ſanę mentis auctori & illuſtratori, cum plebe ſua *voluntaria*, *ſecundum cor eius loqui*, eam ad fidem & obſequium *rationali cultu* conſtans ſuaſionibus uni rationis capaci naturę convenientibus permovere ſolito, cœleſtia pios omnes *eloquia ſcrutari*. & *die nocteque verſare, omnia probare, quod bonum eſt tenere, ſenſus ad boni & ma-*

Pſ 110. 3. Oſee 2. 4. Rom. 12 1. Pſal. 119. 2. Pſ. 1. 2. 1. Theſſ. 5. 21. Hebr. 5. 14.

 li

li discretionem exercitatos habere, eoque ipso *ratione uti* jubenti, injurium esse vident, aut fœdo semet ac pudendo Eutychianorum, aliorumque ante annos 1200. ab Ecclesia (dum fidem ejus audacius oppugnarent) fulminatorum magisterio sive prudentes, sive imprudentes tradere erubescunt. Putidis eorum adversus Catholicos cavillis ante annos plus minus centum abusus Albertus Pighius * nulli suorum salivam moverat; sed longe post ejusdem elatum funus, in ipso fere sæculi decimi septimi limine, in Gallia nostra exorti Ioannes Gonterius Iesuita, Franciscus Veronus ex Iesuita sæculo redditus presbyter,

* *obiit a.* D. 1562

ter, & ex hujus dediſcenda diſciplina minutuli vitilitigatores, qui putridam illam crambem recoquere, delicias ſuas facere, redempto Chriſti populo fidenter apponere auſi, auri neſcio quid in obſoletorum hujuſmodi commentorum ſtercoribus, quod cum fructu quæri & facile inveniri poſſet, latere tam falſo, quam infœliciter garrirent. Horum Sophiſtice à Chriſti ſervis ſæpius confutata, aureoloque, qui nunc Latine prodit, libello pro merito excepta; adeo inter noſtrates eviluit, ut pueris ipſis ac mulierculis, vel leviter Chriſtiana doctrina imbutis, ludibrium debeat, & ad exteros transfugere coacta ſit.

Si eam nunc è Gallia fugitivam Valerianus Magnus Capucinus, Valemburgii fratres Iesuitæ, aliique nonnulli in Germania præconio suo dignam putant, Christianæ reipublicæ interest, ut quocumque illa transfugium facit, strigilis, quæ à piis ætatis nostræ viris, & ante sæcula duodecim à magno Theodoreto, Leonis I. Papæ familiari, orthodoxęque doctrinę in ultimo Oriente ὑπερασπιστῇ fortissimo & fœlicissimo, probe defricata est, in promptu sit. Sume Lector, & ad fidei tuę firmamentum, ad errantium elenchum, ad Dei Opt. Max. gloriam, quod tibi ex animo apprecor, utere,

IOAN-

IOANNES DALLÆVS

FRANCISCO VALLÆO, CANALLII Domino, REGIS CHRISTIANISSIMI Consiliario, Quæstorum Parisiensium Præsidi integerrimo,

S. P. D.

CVM *nostri Majores*, VALLÆE *præstantissime, de iis palam testari cœperunt, quæ hominum vel scelere, vel ignavia in religionem Christianam perperam invecta fuerant; Latinæ communionis Theologi primum ita in hac caussa versabantur, ut quæ denotabantur fidei suæ capita, ea ex divinis Scripturis vel purgare, vel certe mollire conarentur. Mox, ubi animadverterunt hanc defensionis rationem parum sibi ex voto succedere, aliò conversi, Scripturas ipsas de tribunali dejiciendas putarunt, caussantes in iis, neque omnia ad*

salutem necessaria contineri, neque ea ipsa, quæ continentur, satis clare perspicuèque esse tradita, adeoque ad Ecclesiæ vocem necessario esse confugiendum, quæ & ea quæ divinis libris desunt, adjiciat, & quæ obscurius in iis expressa sunt, illustrata & explicata tradat.] At qui nunc eandem caussam agunt adversarii, eos multo longius progredi videmus. Hi enim postquam intellexerunt errores suos, quamdiu nobis Scripturæ superemnt: consistere non posse, quod ea, utcumque imperfectæ, obscuræque esse fingantur, ipsis tamen coarguendis, ac refellendis abunde sufficiant: eò tandem ultima necessitate adacti devenerunt, ut omnem nobis litterarum illarum cælestium eripiendum usum, remque uni Ecclesiæ judicio plane penitusque committendam esse existimarent. Sed cum Scripturas sacras ex illo celsissimo gloriæ atque auctoritatis throno, in quem summa omnium qui sunt, aut fuerunt, Christianorum consensione, ac religione evectæ sunt, non magis quam de cælo Solem, deturbari aut subduci posse intelligerent; rem postremo aggressi sunt doli quidem ac fraudis plenam, sed impiam tamen, atque inhumanam. Nos enim ad hoc, ne Scripturis uti possimus, ratione ipsa spoliare conantur, & quam

& quam facultatem nobis Deus Opt. Max. ad intelligendum fruendumque suum illud cœleste donum concesserat, eam isti strenue calumniantur; veluti cæcum, anceps, ac fallax instrumentum; huiusmodi denique, quo nihil veri certo deprehendi ac explorari possit. Illos nimirum tantum divinæ lucis odium cepit, ut Solem, unde ea diffunditur, cum extingui posse desperent; oculos certe quibus cœleste munus percipitur, nobis vel eruere, vel fascinare omni nisu satagant. Hanc ego, Amplissime VALLÆE, *per se iniquissimam, adhæc in universum hominum genus, & in generis auctorem Deum contumeliosam istorum vim arcere, & à nostris capitibus depellere institui, ex quibus asseritur nostra fides, ejusque demonstrandæ ratio, hoc ante paucos menses elucubrato libello complexus. Neque vero hoc, quicquid est opusculi, ideo ad te defero, quod tibi præsidiis hujusmodi magnopere opus esse putem. Scio enim tuam, & mentem perspicaciorem, & fidem firmiorem esse, quam ut crassis novorum Sophistarum præstigiis, minutisve cavillatiunculis ac vitilitigationibus, vel illa circumveniri, vel hæc labefactari, aut etiam concuti possit. Memini te difficillimis temporibus, cum hostis de superiore loco pugnaret, totis-*

que in nos viribus incumberet, rectum constitisse, Satanaque ac mundo triumphantis Christi Evangelium tum esse fortissime professum, cum è nostris non pauci crucis imminentis metu territi nutarent, signaque jam desererent, & in adversa castra transirent. Sed hunc tamen tibi libellum inscribi poscebat, si non usus tui necessitas, officii quidem certe nostri ratio. Nam neque nos amor in nos tuus, nullum grati in te animi testimonium edere patiebatur, neque quo aliquod ederemus, aliud nunc erat, præter hoc munusculum: quod enixe rogo, ut æqui bonique consulas, ac velut sincerum nostri in te affectus cultusque pignus, eodem quo auctorem ipsum soles, ore ac vultu excipias. Ego vero Dominum IESVM supplex veneror, ut te uberrimo cælestium benedictionum rore, sua pace, suoque Spiritu perfusum, diu nobis incolumen ac florentem servet, breviaque hujus sæculi spatia olim emensum glorioso postremo immortalitatis bravio donet. Vale. Dat. Lutetiæ Parisiorum, An. D. 1634. Ianuar. d. 20.

ERRATA

Pag.	Lin.	Lege.
2.	7.	quâdam
6.	16.	afferant
	5. ante finem.	afferunt
9.	in margine	præfixam
13	10.	plodamus. Quod
14.	4. ante finem.	hæc enim
15.	5. ante finem.	animi
18.	13.	qui aliquid
19.	2.	iſtos
22.	18.	-dus eam
	4. ante finem.	illud, quod
23.	9.	afferebat
	10.	iſtud
26.	12.	ex his
	21.	*miſerebor*
27.	19.	qualis
39.	21.	convenire jubet, eos vult
40.	11.	Thapſenſis
53.	antepenult.	Probus diſp.
	ultima.	Quantum
61.	1.	opere, quod
64.	8.	Arianos
84.	7.	ſeſe efferunt
	5. ante finem.	naturæ ſchola
96.	1. ante finem.	daturos
140.	penult,	addiximus
143.	1.	Non
155.	25.	fuerint in his
170.	18. 19.	iſti altaris
172.	6. ante finem.	verba adeo
177.	12.	quærebatur
	18.	nunquam
178.	12.	qui de
	22.	etiamſi
181.	5. ante finem.	Epiſcopus & Stella
197.	15.	huiuſmodi cultuum
	16.	à quibus
	28.	diſcriminis eſt, ut
198.	9.	rogare
204.	19.	denique
206.	ult.	eos ſcilicet
207.	24.	cœleſti domui;
208.	7.	veré vel
	in margine,	מלכות שמים
209.	20.	--cumque
212.	22.	exploratum eſt,
218.	18.	*in easdem*
219.	7.	illa

Pag.	Lin.	Lege.
219.	7.	illa didrachma
223.	17.	hostiæ
226.	2.	commendare
228.	6.	constituenda
230.	23.	decernit
235.	3.	*Operum*
236.	12.	quam defunctis sanctis
	16.	Deus sibi uni
239.	19.	*distinctione*
242.	26.	existere.
247.	5.	Δαβιδ
	penultima.	εἰς
249.	10.	δι' αὐτῆς
	20.	si Deum
251.	2.	φύσει καλά
	21.	τῆς ακρᾶς
253.	9.	ἔτι
	30.	ἀυῶν
254.	14.	διακρίνειν
	15.	enim
	26.	γίας
255.	penult.	τό
	ultima.	ἀγάπης
256.	11.	κα-
	14.	λέξεις
	25.	γεγραμ-
257.	3.	ἀ ἰνει-
258.	1.	γ γονε
	6.7.	κακῶν
259.	28. post adde	κἂν Μανιχαῖον, κἂν Αρειον κἂν Απολλινάριον
260.	1.	Οὐ τοί
	17.	κοινοποιίας
261.	17.	infinita
262.	13.	δ' αὖ
263.	9.	εἶπον
	11.	illi nos
	penultim.	πέπηγα

ADDE

P. 40. lin. 5. 6. 7. 8. Vigilij quidem nomine, &c. Romani, sed	[*Corrige & scribe*, Vigilij, non Tridentini, cujus nomine publicatus est, sed (quod nos diserte
P. 52. lin. 13. Vigilius, vel potius Gelasius.	[*corr. & rescribe*, Vigilius, non Tridentinus, sed (quod
P. 62. lin. 11. Gelasio Afro	[*rescribe* Vigilio Afro

IOANNIS DALLÆI DE FIDEI EX SCRIPTVRIS DEMONSTRATIONE,

Aduersus nouam quorundam Methodum,

DISPVTATIO.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Operis PRÆFATIO.

NVPER exorti sunt nouitij Doctores, qui nostrarum Ecclesiarum fidem negant ex Dei Scripturis, quas nos tamen solas in religione duces, magistrasq; sequendas contendimus, demonstrari posse. Placuit aduersariis mustea cauillatio; in qua nunc vna plærique vulgo omnem suã sophisticen, atq; dialecticen ita collocarunt, vt putent ad nos debellandos hoc vnum satis esse, si diserta de singulis fidei nostræ capitibus Scripturæ loca flagitentur; neque dubitent, quin de nobis nullo negotio sit triumphaturus,

quiſquis in hoc vno vrgendo pedem defixerit. Hinc ingens ſubito diſputatorum apud eos multitudo ebulliuit; & qui quondam omnia de religione colloquia defugiebant, neque de ſacris quemquam, niſi qui Doctor eſſet, verba facere patiebantur, nunc omnes paſſim in totidem Theologos, arcana quædam novæ hujus methodi vi repentè immutati, etiam ſellularij opifices, inſtitores, ærarij, coqui, placentarij, cociones, calcearij, pueri, ſenes, in hanc arenam involant, deque rebus Theologicis certare ac digladiari geſtiunt. Ego vt iſtorum, tandem impudentia comprimatur, diſcantque noſtri procaces ac futiles maleferiatorum hominum affanias & craſſas ineptaſque argutias contemnere; conſtitui cum bono Deo fidem noſtram ex Sacris Scripturis breviter, ac perſpicue demonſtrare. Quod antequam facio, duo imprimis vt tota diſputatio ordine procedat, explicanda, atque exponenda videntur; prius quidem, quæ-nam ea ſint, quorum nobis probatio proprie, ac legitime incumbit; poſterius vero quæ qualiaque à nobis Scripturæ loca ad hanc demonſtrationem afferri deceat.

CAP. II.

Nobis ex Scripturis ea duntaxat probanda incumbere, quæ credimus; non autem ea quæ à fide noſtra rejicimus, ac refutamus.

AC vt à priori ordiar, conſtat in primis noſtri officij, noſtrarumque partium eſſe, vt fidem noſtram probemus, ac confirmemus, id eſt ea quæ de religione vera eſſe credimus, ac ſentimus, & quorum adeo fide ſperamus nos aliquando ſalutem æternam conſecuturos. Quæ vero extra fidem noſtram ſunt, ea probare, vel demonſtrare eius eſt, qui ea credit, & inter ſuæ fidei capita cenſet; noſtrum profecto qui non credimus, neque tali loco, ac numero habemus, nemo ſapiens eſſe dixerit. Si quid tu, quo illa probes, afferas, noſtrum eſt audire, & idonea reſponſione ſi vrgeas, ſoluere. In omni enim diſciplina qui dogma ponit, qui aliis perſuaſum cupit, id ipſe verum eſſe demonſtrare debet. Ni faxit, nemo ei aſſenſum debet. Neque enim aliis quam veris aſſentiri ac fidem adhibere quemquam decet. Vnde iam liquet, quanta ſit nouorum diſputatorum iniquitas, atque inverecundia, qui à nobis non eorum modo, quæ ponimus ac ſtatuimus, probationem, ſed eorum etiam, quæ negamus, ac repudiamus, diſertam ex Scripturis reiectionem flagitant, & cum ipſorum ſit demonſtrare vera eſſe, quæ credunt ac

docent, nos homines ineptissimi jubent ea ex diuinis litteris loca proferre, quibus ista, quæ credunt, falsa esse diserte, ac totidem verbis scriptum sit. Exempli caussa, negant satis esse, si ex Scripturis demonstrauero *Christum esse*, (quod nos statuimus ac credimus) nostrum *Mediatorem*; vrgent præterea ac flagitant, vt huiusmodi ex Scripturis locum afferam, in quo *Sanctos* (quod ipsi aiunt, nos negamus) *Mediatores esse nostros* diserte totidem verbis negetur. Me iubent testimonia edere, non modo quæ *oblatum à Christo in cruce sacrificium* (quod nos amplectimur ac docemus) constituant ac confirment; Sed etiam quæ quod ipsi, inuehunt atque obtrudunt nos repudiamus, propitiatorium *Missæ sacrificium*, diserte damnent, ac refutent.

Denique postquam adductis Scripturæ plurimis locis *Christum* (quod nos confitemur) *caput esse Ecclesiæ* demonstraui, nihil actum clamant, nisi & alia adduxero, in quibus clare, diserteque ac totidem syllabis perscriptum legatur *Papam Romanum nequaquam esse* (quod illi, vt notum est, aiunt, nos negamus) *visibile vniuersalis Ecclesiæ caput*. Ni fecero, vociferantur me fidem meam ex Scripturis demonstrare non posse; Summa vi laterum clamitant suam veram esse; mihi veris victo in eam concedendum esse pertendunt. Quicquam ne vel animo fingi possit iniquius? aut iniustius? Crimen eum qui intendit, probare ac ex veris demonstrare publicæ leges jubent. Reo satis est crimen ita negare, vt omnes accusato-

ris

tis probationes dissoluat. Nullo iure, nulla lege, nulla, quantumvis absurda consuetudine receptum vnquam apud homines fuisse accepimus, vt reus ad purgandum obiectum crimen necesse habeat testes eos in judicium adducere, qui ipsum innocentem esse diserte, affirmateque dejerent. Crimen abunde purgatum, atque depulsum habetur, si quæ accusator ad probandum attulit, ea ille omnia nihil valere, nullamque vim ad id efficiendum habere, plane liquidoque demonstrauerit. Vnde illud naturali rationi consentaneum apud Iurisconsultos pervulgatum *actori probandi onus incumbere.* Neque juris, quam facti alia ratio est. Vt ergo qui factum quid ait, eius est quod ait factum, id factum docere ac probare; ita & qui jus aliquod esse statuit, ei profecto incumbit, vt quod jus statuit, id verè jus esse demonstret. Verbi gratia; Si affirmem atque constituam jus olim apud Romanos fuisse, vt domus, postquam ab emptore annos quinquaginta possessa esset, anno quinquagesimo ad dominum, à quo vendita erat rediret; nemo non videt si id affirmem, atque aliis persuasum cupiam, meum esse aliquam ex jure Romano legem laudare in qua hoc ita perscriptum habeatur, ac nisi id præstitero, vanam & irritam futuram omnem illam ea de re affirmationem meam, quæ neminem probatione scilicet carens ad assentiendum cogere vel impellere debet. Quod si hac missa probandi legitimâ ratione aliter instituere, & à dissentientibus flagitare cœpero, vt ex Romano jure locum si pos-

ſint edant ac proferant, in quo diſerte cautum ſit, *ne domino ea domus, quam ante annos quinquaginta vendiderit, hoc elapſo tempore reſtituatur*; ſi, hoc illi niſi præſtiterint, demonſtratam & concluſam eſſe meam ſententiam dixero, ac contendero; nemo erit adeò patiens, qui meam ineptiam ferendam putet. Atqui hæc ipſa eſt diſputatorum noſtrorum in omni hac de religione cauſâ, ratio. Illi diuino jure cautum eſſe contendunt, vt omnes Chriſtiani Romanam hoſtiam adorent; vt altaris in quo ea conficitur, ſacrificium venerentur, eique communicent; vt Romæ Epiſcopum pro totius Eccleſiæ capite habeant. Cæterum cum nullum ipſi ex cœleſtibus illis, quibus jus diuinum continetur, tabulis locum aſſerant, in quo clare, perſpicueque perſcriptum legamus vel adorandam eſſe hoſtiam, vel miſſæ aliquod eſſe verum ſacrificium, vel Papam Eccleſiæ Chriſtianæ, caput eſſe, nos tantum jubent loca ex aduerſo proferre, quæ iſta, quæ ipſi affirmant, diſerte negent; clamant, niſi id quod jubent, præſtemus, fidem ex Scripturis neque noſtram probari, neque ſuam refelli poſſe. Quis vero non intelligit planè aliter conſtituendam eſſe totam hanc cauſam? in qua iſtorum quidem eſt quæ credunt, quæ docent, quæ nobis inculcant ac obtrudunt, ea probare & affirmare; noſtrum verò, quas aſſerunt probationes, eas audire, expendere, ac ſoluere? Ita vt niſi idonea, clara & inuicta eſſe comperiantur quæ ab iis allata ſunt ſuæ ſententiæ argumenta, ea velut vana & incerta dimittatur, &

ex

ex certis atque indubitatis fidei noſtræ capitibus expungatur.

CAP. III.

Eorum capitum, quæ fidei noſtræ expoſitio continet, alia eſſe affirmantia, alia negantia; Quæ ſit vtrorumque ratio; quove modo & quatenus vtraque ex Dei Scripturis probari oporteat.

SED hîc iſtis detrahendus eſt inanis color, quo ſuæ methodi iniquitatem apud imperitos fucant. Si bi enim ideo licere ita nobiſcum agere putant, quod Eccleſiæ noſtræ in ea, quam ediderunt, fidei ſuæ confeſſione non ea tantum exponunt ac definiunt quæ nos de religione ſentimus, ac credimus, ſed vna quoque ea fidei Romanæ capita rejiciunt & explodunt, quibuſcumque nos minime aſſentimur. Hinc iſti arrepta ocaſione vtriuſque ordinis capita miſcent, eaque omnia pro communibus fidei noſtræ placitis pariter habent, Scripturæque adeo teſtimonia ad vtrumque probandum genus nullo diſcrimine efflagitant. Hac illi fraude omnem hujus cauſſæ naturam immutant ac pervertunt. Quæ enim vna eademque orationis ſerie contexta confeſſio hæc noſtra continet, abſit tamen vt omnia apud nos ſint vnius, eiuſdemque numeri, atque ordinis. Nam quæ veluti diuinitus reuelata credimus, & confitemur, eorum nos cognitionem ac fidem neceſſariam

censemus, qui scimus neminem mortalium ad salutem peruenire posse, nisi verbi gratià crediderit *vnum esse Deum, Christum pro nobis mortem fuisse perpessum, nos omnes ad piè, sancteque viuendum obstrictos teneri,* & cætera, quæ sunt eiusdem census. Quæ vero velut à Romano episcopo vel inuenta, vel defensa & promulgata rejicimus, eorum hanc esse rationem arbitramur, vt satis sit, illa à Christianis non credi. Vt vero ea etiam à singulis pernoscantur, disserteque, ac vt loquuntur *formaliter* rejiciantur, & sic à sua fide nominatim excludantur, vt à nostra in illa confessione exclusa sunt, adeo non putamus necessarium, vt etiam optandum fuisse profiteamur, ne ista vnquam in hominum lucem ac notitiam prodirent ac emergerent ex alta illa erroris ac mendacij abysso, in qua tot olim seculis delituerant, Vt enim homini quo naturalem hanc vitam ducat satis est bonis ac salubribus cibis vesci; nihil ad hoc necesse est eum cicutā & aconitum, cæteraq; venena ac toxica nosse; ita se res etiam habet, in religionis negotio. Vt æternam salutē cōsequaris, tibi satis est sancta illa atq; salutaria mysteria credere & animo complecti quæ nobis sunt à Christo Domino cœlitus reuelata; vt sigillatim teneas omnia à malis dæmonibus subinde in mūdum sparsa ac disseminata errorū venena, vel vt singulorū labē ac nocendi vim in numerato habeas, nihil profecto necesse est. Ista vero non ignorare sed admittere, noxium ac letale est, Itaque si vere loquendum est nulla proprie fidei nostræ pars est diserta erroris rejectio, Alio-

qui fides imperfecta omni illo tempore fuisse censenda erit, quo nondum erat exortus error. Certe etiam ante natum Muhamedem integra, suisque omnibus numeris absoluta fuit Christiana fides, tametsi impostoris post homines natos tæterrimi somnia ac deliramenta nesciret. Neque tu ei, qui omnia à Domino Iesu reuelata credit, quicquam ad salutem deesse putaueris, etiam si Marcionis, & Manichæi, & Arij & Pelagij ne nomina quidem vnquam vel fando inaudiuerit. Ex quibus nemo non videt quantum ab iis definitionibus, quibus cœlestis de religione veritas affirmatur atque constituitur, illæ aliæ differant, quibus oppositi vero errores ex nostra de religione sententia excluduntur, ac rejiciuntur. Quod vtrumque definitionum genus nostri maiores in eodem confessionis libello complexi sint, id non ideo factum est, quod nullo vtrasque discrimine haberent; sed certa quadam, longe alia, de causa. Cum enim à Romanarũ partium communione plurimis, grauissimisque rationibus compulsi secessissent, eoque nomine multa sibi tætra ac horrenda per summam calumniã imponi, atq; affingi animaduerterent, vt Regem, supremum suum in terris Dominum, suosque ciues plane liquidoque docerent quis omnino suus esset de religione sensus, putarunt non modo sibi exponendum esse, quid de toto Christianismo & singulis, quibus is continetur, capitibus persuasum haberent, sed etiam simpliciter candideque demonstrandum quid de Romani Episcopi, à cuius

Vide epistolã ad Regẽ a. D. 1559. editam ac Ecclesiarum nostrarũ cõfessioni præfixim.

cuius partibus secesserant, doctrina ac communione existimarent. Quæ ergo tum ab iis hoc vno consilio conjuncta, permixtaque fuerunt duorum generum capita, ea nunc nobis diligenter inter se se distinguenda, atque discriminanda sunt; altera quidem, vt in scholis loquuntur, *affirmativa*, *ac positiva*, quibus quid nos credamus, definitum atque expositum continetur; altera vero *negativa*, *ac exclusiva*, quibus non quid credamus, sed quid non credamus explicatur; illa, quibus confitemur quid fides nostra admittat ac contineat; hæc quibus testamur, quid ea respuat atq; repudiet. Ad priorem ordinem pertinent ea quæ nos infra exempli causa descripsimus? *Deum esse, & quidem vnum, adorandum & toto animi affectu colendum; Dei vnicum esse filium, æternum cum Patre Deum, Christum Dominum; Hunc carne nostra in Sanctissimæ Virginis Mariæ vtero assumpta, verum hominem factum, ad expianda nostra peccata mortuum. animas nostras suo sanguine ab omni peccato purgasse, ex mortuis tertia die resuscitatum supra cœlos ascendisse & ad Patris dexteram sedisse; sua hominibus peccata summa Dei gratia remitti Euangelio credentibus; Fidelibus sancte pieque viuendum esse; caritatem esse ad salutem necessariam; instituisse Dominum, vt nos in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti ad peccatorum remissionem baptizemur; ac vt ipsius mortem commemoremus ac celebremus pane, vinoque sanctificatis vescentes; hunc panem, & hunc calicem, quem ex Christi instituto sumimus, sanctissimi eius corporis & sanguinis communicationem esse; æternam salutem adepturos quicumque in Christum*

ſtum crediderint, & ex ſanctiſsima ejus diſciplina vitam inſtituerint; perituros, qui non crediderint. Poſterioris vero ordinis ſunt quæ ſequuntur; *Non eſſe adorandam Romanorum hoſtiam; non invocandos Sanctos; non eſſe Miſſam ſacrificium peccatorum noſtrorum propitiatorium; non eſſe Romæ Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ ſpõſum, vel caput; nullam ejus eſſe, in res Regum & Principum temporales vel directã, vel indirectam poteſtatem; neq; vel ipſum, vel Eccleſiam, quæ ab eo regitur, extra erroris in fide periculum eſſe, neque eius autoritate niti noſtram de rebus divinis fidem. Nobis neque peccata remitti, neque vitam dari ex operum noſtrorum merito; Panis, quem in Domini menſa frangimus, itidemque calicis, cui ibidem benedicimus, ſubſtantiam neque in nihilum abire, neque in aliam ſubſtantiam immutari; Neminem eorum, qui Dominica menſæ communicant, poculo fraudandum eſſe, vel prohibendum; Non eſſe in novi fœderis ſacramentis cenſenda chriſma, pœnitentiam, extremam vnctionem, ordines, matrimonium; nullas igne Purgatorio poſt hanc mortalem vitam cruciari fidelium animas*, & cætera quæcumque ſunt eiuſdem ingenij. Prioris quidem ordinis capita noſtrum eſt (fateor) præſtare, probare, & ex veris, certiſque, ac indubitatis documentis conſtituere; quod ea ſcilicet & credimus ipſi, & alijs credenda tradimus, & commendamus; quorum cum pars longe maxima omnem & ſenſus & rationis naturalis vim ſuperet, illud vnum relinquitur, vt ea cœlitus à Deo optimo maximo noſtro generi revelata fuiſſe demonſtremus. Hi enim tres ſunt humanæ omnis ſcientiæ, atque cognitionis fontes,

tes, ſenſus, ratio & diuina reuelatio. Iam neque ſenſus, neque ratio hominum docet vel Ieſum Chriſtum eſſe Dei Filium, vel vitam æternam conſecuturos, qui Chriſti Euangelio credunt. Vna ergo ſupereſt Dei reuelatio, qua iſtorum veritas patefieri, probarique poſſit. Cum vero tum cæteri omnes Chriſtiani, tum ipſi etiam Latini, quibuſcum nunc nobis controuerſia eſt, concedant ac profiteantur à Deo inſpiratas, eiuſque voluntate, ac nutu conſcriptas eſſe Sacras veteris, ac noui fœderis litteras, apparet non poſſe à nobis eorum quibus fides noſtra continetur, capitum veritatem clarius, aut luculentius affirmari, probarique, quam ſi hæc ipſa in diuinis illis Scripturis doceri, tradique demonſtrauerimus. Has ergo partes eſſe in hac diſputatione noſtras; hoc nobis onus incumbere, non modo concedimus, ſed vltro etiam profitemur; & quidem quam nobis id facile ſit quod hac in parte debemus, præſtare ſpero me breui in hoc libello ex rebus ipſis palam facturum. Secundi vero ordinis capita vt legitime probentur atque conſtituantur, demonſtrandum eſt quæcumque ex fide noſtra rejicimus, atque excludimus ea nuſquam in ſacris Scripturis eſſe tradita; nuſquam verbi gratia cœleſtes illas litteras docere vel aliquem eſſe in ſubterraneis locis ignem animarum purgatorium; vel vrbis Epiſcopum Eccleſiæ Chriſtianæ monarcham eſſe; vel in Miſſa offerri Deo ſacrificium peccatorum vere expiatorium. Quod ſi ſemel demonſtratum fuerit, eadem quoque opera confectum erit

nos

nos hæc & consimilia ex nostra fide iure merito que eiecisse, ac exclusisse; qui scilicet arcte tenemus ac defendimus Scripturis omnino contineri quæcumq; sunt ad salutẽ consequendam creditu necessaria. Eo enim fit, vt hæc, quæ nuspiam in Scripturis extant, & Romani perperam atque inique veluti necessaria, admittant, commendent, imperent; & nos veluti vana ac noxia merito repudiemus, atque explodamus quod verò insuper minuti isti ac mustei de fungorum genere sophistæ magnis clamoribus flagitant edi sibi ac recitari Scripturæ testimonia, in quibus hæc posterioris ordinis capita totidem litteris atque apicibus expressa sic verbi gratia habeantur, *NVLLVM EST PVRGATORIVM, NON EST PAPA ROMANVS ECCLESIÆ VNIVERSALIS CAPVT NEQVE SPONSVS*, id inquam iniquissimum est, & summa cum impudentia, nequitiaque & absurditate coniunctum. Etiam ineptius, atque stultius est, quod iidem argumentantur nos nisi huiusmodi testimonia edere possimus, necessario fateri debere mutilas, atque imperfectas esse Scripturas. Nos enim diuinæ Scripturæ perfectionem in hoc sitam esse intelligimus, quod in ea vberrime, clarissimeque doceantur, quæcumque sunt ad salutem vel creditu, vel factu necessaria; Neq; profecto quisquam librũ eum *perfectum* esse in suo genere negauerit, quo quæcumque sunt ad eam quam tradit, disciplinam necessaria, abunde, liquidoque descripta atque explicata continentur. Neque tu quos Aristoteles scripsit de philosophia commentarios

mentarios ideo *imperfectos* esse dixeris, quod in iis diserte nominatimque explosa non legantur quæcumque secutis post eius mortem temporibus, de hoc rerum genere commenti sunt recẽtiores, neque mutilas idcirco esse contenderis antiquissimorum rhetorum de arte sua præceptiones, quod in iis neque commemorata, neque confutata sint quæ de nescio quibus eloquentiæ luminibus novi magistri delirarunt. Erroris, vt non vna certaque est sed multiplex, & varia, nulloque vel termino vel numero conclusa species; ita neque certa vlla ratio iniri vel potuit, vel debuit: Satis est auctoribus ad earum quas tradunt, scientiarum perfectionem quæcumque singulæ vera ac certa continent definire atque explicare, Sin aliter statuas, nihil vnquam in hoc genere perfectum, suisque omnibus numeris absolutum extabit. Ita enim licebit & Musulmanno Scripturas nostras criminari, quod Muhamedem nominatim non proscripserint, & Marcioni, & Manichæo, & Dauidi Georgio & cæteris id genus impostoribus cauillari, quod nullam suarum hæreseôn disertam vnquam mentionem fecerint. Quid quæso necesse fuit istorum nominibus ac deliriis tot antequam ipsi nascerentur sæculis, divinas illas chartas inquinari, ac conspurcari? Mihi, vt ab horum placitis atque institutis caveam, satis Scriptura hoc ipso prospexit, quod verbum de iis nullum fecit. Hæ enim rectæ viç inter tam multos errorum anfractus tenendæ tutissima eademque facillima ratio est, si quod Scriptura non commendat, id quodcumque

que

que ac qualecumque de cætero ſit, contemnendum putemus, neque de iis vel expendendis, vel etiam audiendis laboremus, quæcumque ab vnica illa morum ac fidei magiſtra tacita, indictaque prætermiſſa fuiſſe intelligimus. Illa de Deo, deque Domino Chriſto prolixe docet; Illa clare, ac fuſe exſequitur, quid Chriſtus vel pro me præſtiterit, vel à me exigat; omnique ea ſapientia, quæ eſt ad ſalutem neceſſaria, animum mihi ſi audiam affatim imbuit, atque implet. Mihi verò ſalus æterna ſatis eſt. His quæ ad eam ducunt contentus ac beatus eſſe poſſum; Plura non deſidero. Si præter hæc, alia mihi inſuper Papa vrbicus obtrudat, pari fide credenda; ego verò inprimis quod æquiſſimum eſt, poſtulo, vt ſua illa ex Dei Scripturis doceat. Si fecerit, bene eſt. Non repugno, quin & hæc in eundem cum meis fidei cenſum referantur. Si non poteſt, quis non intelligit iſta quæ abſque Dei verbo obtruduntur, impune quidem ac ſine vllo damno neſciri, credi vero ac in pectus admitti ſine magno certoque animos periculo non poſſe? *Fides* enim *ex auditu*, quod ait Paulus, *auditus autem* Roman. 10.17.
per verbum Chriſti; cuius Scriptura primum & indubitatum ac ſolum mea quidem ſententia, certum atque infallibile documentum eſt.

Cap. IV.

Refellitur aduersariorum de suæ possessionis iure, cauillatio.

SEd hic noui disputatores, ad purgandam suæ in nos methodi iniquitatem, diuturnæ possessionis jura nobis objectare solét se in ea, qua ipsos dejicere contendimus, doctrina non modo annos complures, sed etiam sæcula non pauca mansisse, id vnum satis esse; neq; à se alia suæ religionis documenta exigi citra injuriam posse; nostrum esse, qui de ea litem mouemus, erroris ipsos coarguere, clarisque ac disertis, & necessariis probationibus conuincere. Hac illi exceptione plurimum vtuntur; seque cum hæc & alia eiusmodi apud imperitos iactarunt, egregie de tota hac causa sic triumphasse putant, vt nobis ne contra quidem hiscere liceat. Atqui nihil ista cauillatione fingi potest vel futilius, vel etiam ineptius. Nam si quod obtendunt, diuturnæ possessionis jus in huius generis caussa valere debet; inique fecerunt Domini Iesu Apostoli, qui Paganos de ea religione dejicere aggressi sunt, in qua tum ipsi, tum omnes per multa sæcula eorum maiores & vixerant placide & consenuerant; inique nunc faciunt Iesuitæ, qui idololatriam ex cordibus, templisque Sinensium, in quibus ab omni hominum memoria regnat, exturbare nullis non artibus nituntur. Iniuria est, quod veritas & virtus errores & vitia ex hominum animis depellunt;

quos jampridem tenebant atque occupabant. Male factum est scilicet, quod tam diuturnæ possessionis jura sollicitata sunt. Si istis credis injuria fit veteri homini quoties novo decedere cogitur,; Iniuriam philosophia passa est, cum à Christi Evangelio summota est. Nobis, si novorum disputatorum arbitrio stamus, sub veterum dominorum jugum redeundum erit; quos isti à Christo injuria deiectos, putant ex veteri possessione. Sed avertat à nobis Deus impias mentes; vt vnius cavillatiunculæ obtentu sacrosancta Christi ac veritatis jura labefactari, ac pessumdari sinamus. Nos verò confitemur, vbi de fundo quæritur, de agro, de domo, de alio denique quod esse in rerum natura omnes & cernunt & sentiunt, non ineptè neque immerito possessionis jura in medium afferri; & actoris sive ejus qui reum possessione sua ejicere cupit, has esse in tali causa partes vt rem quam repetit, sui juris esse, neque aliter à reo, quam per vim vel per fraudem teneri claris imprimis, liquidisque, ac certis probationibus vincat. In nostra verò cum Romanæ communionis Theologis causa nihil simile. Illi petunt à nobis, vt Purgatorium, vt Missæ sacrificium, vt cætera de religione capita, de quibus ab ipsis dissentimus, secum credamus, & confiteamur. Nos rogamus & contendimus, vt istæc quæ credi volunt, vera esse, quod hactenus perspicere non potuimus, clare liquidoque demonstrent. Hic illi, quos justissimæ postulationi satisfacere æquum fuerat, alio confugiunt; negant se ad sua illa proban-

da ac demonſtranda vllo iure teneri; quod in ſua *poſſeßione* ſint, ſcilicet. Quam verò nobis *poſſeßionem* narrant? Si enim intelligunt ſe id iampridem obtinere, vt quæ velint, hominibus vna ſuæ vocis auctoritate, nulla rerum ipſarum demonſtrata veritate, credenda imponant; iniquiſſimam, planeque tyrannicam *poſſeßionem* ſibi tribuunt. Cum enim homines ex naturæ ſuæ legibus non alia credere aut profiteri debeant, quam quæ ſibi vera eſſe videntur; neque iis, quæ vel falſa, vel dubia & obſcura eſſe putant, aſſentiri, & fidem adhibere queant; quid aliquid iis perſuadere cupit illum ex ipſius naturæ jure omnino neceſſe eſt, quod credere eos iubet, id verum eſſe inprimis vel ex ſenſuum teſtimonio, vel ex rationis luce, vel ſi ea res ſit, quæ ſenſus rationiſque captum ſuperet, ex Diuina certe reuelatione probare, atque confirmare. Cum ergo quæ ab iſtis affertur, *poſſeßio* ipſi naturæ noſtræ juri, atque rationi aduerſetur, quid aliud ſupereſt, niſi vt hac miſſa, ad rem veniant, & quæ nos credere cupiunt ac iubent, eorum nobis veritatem planam ac manifeſtam idoneis probationibus facere aggrediantur? Illi hoc iamdudum obtinent, in hoc vſu tamquam in ſua *poſſeßione* conſiſtunt; vt homines, etiam ea quæ falſa & dubia ipſis videntur, credere tamen jubeant, Nos in ea ſumus ſententia, hoc animo, hac mente, hac denique natura ſumus, vt niſi quæ vera eſſe nobis vel conſtiterit, vel demonſtratum fuerit non credamus. Quæſo te, vtra vetuſtior poſſeſſio? noſtra-ne, an iſtorum? Noſtra quin ſit anti-

antiquior, ab intimis naturæ ipsius fontibus ducta, nemo cordatus negauerit. Ergo istas juri huic nostro, non nos illorum iniuriæ atque vsurpationi cedere, ratio & leges jubent. Adhæc in ciuilibus caussis, vbi ius *possessionis* valet, qui possidet, pulsatur, & loco, quem tenet, cedere compellitur. In nostro hoc negotio, planè contra res habet. Qui se *possessores* esse affirmant, ij nos petunt; id agunt, id vrgent, ac contendunt, vt nos suam illam, quam jactant *possessionem*, secum adeamus. Postulant enim à nobis, vt secum eadem de religione sentiamus; hancque suam à majoribus acceptam de religione sententiam *possessionem* suam appellant. Ergo si caussæ totius ingenium, si ipsa rei natura ac ratio penitius consideretur, liquet istos proprie esse *actores*. Vnde sequitur cum actoris sit id, quod intendit, probare, omnino hoc istis incumbere, vt veris, legitimisque rationibus demonstrent nos jure teneri ad eam ad quam ab ipsis vocamur, *possessionem* ineundam. Nos verò parati sumus eo, quo vocant, sequi, si modo nobis demonstrent id ipsum, in cuius *possessionem* venire jubemur, esse verè aliquid, & in natura rerum existere. Nam quod non est, hoc tamen credere ac persuasum habere, id verò non *rei alicuius possessio*, sed merus error, merumque somnium est, vel si qua possessio est, stultorum profecto possessio est, quos Salomon eleganter *ventos possidere* ait. Veritatis quidem fundus amplissimus est (fateor) atque huiusmodi qui nos omnes capere, ac sustinere facilè possit. Erroris contra tantæ sunt angu- Proue. 11. 29.

 stiæ,

stiæ, vt neminem capere, à nemine possideri possit. Neque enim error, si verè loquendum est, aliud est, quam nihil. Isti ergo donec demonstraverint vera esse quæ & ipsi credunt, & aliis credenda obtrudunt; frustra profecto de horum *possessione* gloriantur. Neque enim id à quoquam *possideri* potest quod ipsum nusquam est. Fundum quidem, quem sibi ex possessionis jure Sempronius apud judices vindicat, esse in rerum natura, nemo ambigit, quem omnes scilicet & oculis cernunt, & sensibus vsurpant Purgatorium verò, & Missæ sacrificium, & vrbici Papæ omnipotentia, ἀναμαρτησία, & Eucharistiæ transsubstantiatio, & cætera ejusdem census dogmata, de quorum *possessione* isti nobis præscribunt, hujusmodi sunt, vt ea neque sensuum adminiculo, neque mentis acie, neque ratiocinationis subtilitate vsquam in rerum natura deprehendere, ac percipere valeamus. Itaque quod se ista *possidere* profitentur, vel eo ipso sibi hanc legem ferunt, vt ea ex Dei Scripturis demonstrent, quæ hominum scilicet sensus ac ratio nusquam in rerum natura inuenit. Quod enim nemo videt, quod tu nemini ostendis aut demonstras, de eius *possessione* suaviter ac magnifice gloriari, id verò est, vt simpliciter dicam quod res est, hominibus illudere; iisque tuæ mentis insomnia pro fundis & thesauris obtrudere. Atqui ex his satis jam ni fallor, apparet adversariorum quidem hac in causa eas esse partes, vt quæ credenda definiunt, ea certis, ac idoneis Scripturæ documentis constituant ac demonstrent, nobis

verò

verò qui ea quæ isti definiunt, negamus, satis esse vt constet merito hæc à nobis negari atque reijci, quod ea nusquam in authentico illo diuinæ reuelationis instrumento reperiri possint, cuius fides atque diuinitas apud omnes Christianos in confesso est. Itaque quod ab initio disputationis posuimus id firmum, ac ratum manet, vt fidem nostram ex Scripturis constituam, nihil aliud à me requiri nisi vt quę de religione aio, in Scripturis doceri, quæ nego, ab iisdem abesse demonstrem.

CAP. V.

Novam disputatorum methodum Christo Domino, Apostolis & Patribus fuisse ignotam; eamque cum illa disputandi ratione apertißime pugnare, quam & ipse Christus, & ejus Apostoli sequuti esse reperiuntur.

NVNC ad illud alterum, quod secundo loco considerandum proposuimus, deinceps veniamus; quales scilicet esse debeant eæ probationes, quibus nostra ex Scripturis fides demonstranda est. Noui enim disputatores diserta ac (vt ipsi loquuntur) *formalia* testimonia flagitant, id est propria, quibus id, quod quæritur, totidem verbis, syllabis, atque apicibus expressum legatur. Si ea proferas, quibus res quidem ipsa, sed vel alijs vocibus, vel ea ratione significata contineatur, vt inde id, quod quæritur, adhibita ratioci-

nationis luce elicere atque concludere promptum ac facile sit; clamant somnia te tua, tuasque chimæras pro Dei Scripturis obtrudere; denique quicquam se pro Scripturæ doctrina habere, aut agnoscere negant, nisi quod in diuinis libris proprie diserteque legunt. Verbi gratia Sanctissimæ Trinitatis fidem Scripturæ doctrinam esse non putant, quod *Trinitatis* in ea nomen nusquam legatur, quantumuis rem eo nomine significatam in multis Scripturæ locis obuiam esse & planam constet. Hæc vna est famosæ methodi techna, qua se mustei disputatores omnibus Protestantibus ora alligare, ac vincire, omnes que Romanarum partium vel hostes, vel ad versarios compescere, & ad deditionem cogere posse & sperant præfidenter, & insolentissime gloriantur. Sed si hæc methodus, eam, quam isti putant, ad hæreticos profligandos vim habet; vnde factum est, quod neque Dominus Christus, neque Apostoli, neque veteris Ecclesiæ Magistri tam facilem, tamque præclaram artem vel discipulis suis tradiderint, vel ipsi in suis de religione certaminibus adhibuerint, quoties cum iis aduersariis res erat, qui ex Scripturis disputarent? Cur tentatori illud è Psalmis afferenti, *Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te*, vt persuaderet Christo licere se ex templi pinnaculo deorsum impune mittere; cur inquam Christus hosti ita argumentanti illud; quod facile & expeditum erat, è Methodo non regessit, *locum non esse disertum*? Cur idem postea, cum Pharisæi discipulis spicas sabbato vellentibus sab-

Matth. 4. 6.

bati

bati legem obiectarent, Discipulos allato Dauidis & sacerdotum exemplo purgat? Quanto facilius fuerat negare *d[illegible]riam esse obiectam ab illis legem*? Quid eius Apostoli? Cur in tam multis, quos ediderunt libris, nusquam nos de præclaro hoc arcano monuerunt? Cur nunquam sunt vsi Patres, in soluendis, quæ hæretici ex Scripturis obiectabant? Sabellius hoc asserebat. *Ego & pater vnum sumus*; Arius illud, *Pater maior me est*. Eutyches istud, *Verbum caro factum est*; Primus quidem, vt eandem esse & Patris, & Filij personam vinceret: alter, vt diuersam vtriusque substantiam esse ostenderet; tertius, vt duas Christi naturas in vnam permisceret, ac confunderet. Orthodoxi veteris Ecclesiæ Theologi ad hæc explicanda loca, & dissoluendos, quos ex iis hæretici nectebant, nodos multa verba consumunt; commentarios & libros totos ea de re conficiunt. Vbi erat eorum acumen, vbi mens, vbi sensus, si res (quod nunc Sophistæ nostri volunt) vno verbo profligari potuit? Nempe si ex mirifica horum methodo *respondissent loca, non esse diserta; quas vero ex iis consecutiones instituebant, nihil aliud esse, quam humanæ rationis lusus, id est somnia & chimaras*? Lege Irenæi aduersus Gnosticos; Iustini contra Iudæos, Tertulliani contra Hermogenem, Marcionem, & Apellem opera; Athanasij. Hilarij, Basilij, Gregorij, Chrysostomi contra Arianos, Cyrilli contra Nestorium, Theodoreti & Gelasij contra Eutychem, Hieronymi, Augustini, Prosperi contra Pelagianos prolixas præclarasque disputa-

tiones; & omnes denique à Catholicis Christianis aduersus hæreticos totis sexdecim retro sæculis editas disputationes; neminem reperies qui obiecta ab adversariis arguméta sic aliquando depulerit, quomodo nunc nostra soluenda putant nouæ methodi auctores; vel illud his nostris disputatoribus solenne vsurparit; *Conclusio argumenti in locis ex Scriptura laudatis non legitur, disertis verbis expressa.* Est ne credibile tam multis sæculis ignotam Ecclesiæ fuisse hanc non minus, si istis credimus, nobilem & invictam, quam facilem & expeditam vincendæ ac triumphandæ hæreseos methodum? Neque eam artem totius mundi lumina reperire potuisse, quam nostrorum demum temporum homines (quod sine contumelia dictum sit) non sane acutissimi deprehendere nullo negotio valuerunt? ac tamdiu in *consecutionum & syllogismorum* vinculis impeditam suspirasse veritatem, neque qui miseram his nexibus exsolueret, quemquam inter fortissimos ac celeberrimos Christiani nominis duces repertum? Exspectandus scilicet fuit horum Alexandrorum gladius, qui conscissis vno ictu òmnibus hæreseon atque errorum nodis veritatem liberaret. Huc accedit, quod Christus & eius serui non modo id aduersarijs concesserunt, quod isti nunc nobis negant, vt ex Scripturæ verbis ratiocinemur, sed etiam ipsi tum ad constituendam veritatem, tum ad refellendum errorem, argumentationem & ratiocinationem sæpe vsurparunt. Christus tentatorem omnia regna mundi & eorum gloriam

riam si se adorasset impudenter offerentem vna hac Scripturæ obiecta sententia repellit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Matth. 4. 9. 10. Eidem quoque suadenti, vt se de templi pinnaculo deorsum mitteret, hoc vnum paulo ante responderat, *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum*; Matth. 4. 6. 7. Frustra vtrumque, si nostros sophistas audimus; quod neque prior locus *Satanam adorare, neque posterior se de templi pinnaculo mittere*, diserte ac proprie totidemque verbis Christum vetaret. Matth. 15. 4. Scribarum & Pharisæorum vetus traditio fuit, qui temere vel iurasset, vel vouisset se nulla vnquam in re parentibus vsui futurum, eum si parentes postea minime honorasset, nullo ideo crimine se obstricturum. Christus impiam istorum deuterosin eodem modo oppugnat, adductis scilicet his Dei in Scriptura legibus. *Honora patrem & matrem, &c, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Neutra tamen lex id diserte, ac proprie habet, quod inde Christus concludit. Alibi Sadducæis de mortuorum resurrectione insidiose interrogantibus satisfacit allato ex Scripturis illo Dei oraculo, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Matth. 22. 32. 33. 34. Testatur Euangelistes diuina hac Christi ratione silentium Sadducæis impositum; auditores in cœlestis doctrinæ admirationem raptos. Si Sadducæorum loco fuissent nostri sophistæ, omnem Christi sapientiam exsibilassent; & hoc exploso testimonio aliud *disertum ac formale* poposcissent; *consecutiones ratiocinatione institutas velut incertas ac periculosas* irrisissent.

Magistri

vestigia sequuntur Apostoli; qui Euangelicam veritatem non disertis, ac proprijs veteris Testamenti locis, sed inde ductis argumentis atque rationibus aduersus Iudæos confirmant. Ita Pe-
Act. 3. 22. trus Christi aduentum & missionē ex his Mosis verbis probat; *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus meis tanquam me;* Idem eiusdem resurrectionem ex hoc Psalmo-
Act. 2. 27. rum loco concludit; *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Eodem modo Paulus hominem non lege, sed gratia iustificari & his Prophetæ
Rom. 4. 7. 3. verbis conficit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, & ex eo, quod de Abrahamo scriptum est, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sic idem fide nos, non operibus iu-
Rom. 9. 8. stificari ex his Domini ad Abrahamum verbis
Gal. 4. 28. colligit, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Sic electorum vocationem *non volentis neque currentis, sed*
Rom. 9. 15. 16. *miserentis Dei esse*, ex hoc Dei ad Moysem oraculo probat, *Miserebor cuius meserebor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Sic Iudęorum reiectionem ex hac Scriptura, *Ecce pono in Sion lapidem offensionis*; Gentium vero vocationem ex
Rom. 9. 33. 25. illa: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, non dilectam, dilectam*; iudicium denique vltimum
Rom. 14. 10. 11. ex istis Domini apud Isaiam concludit, *Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.*
Hebr. 1. 5. Hebr. 5. & 7. Quid de eiusdem Pauli ad Hebræos epistola dicam, quæ tota fere est ex huius generis pro-
Hebr. 7. 20. 21. 22. bationibus contexta? vt cum ex Psalmi dicto, *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*, Christi supra Angelos excellentiam, & æternum eiusdem sacer-

ſacerdotium ex Melchiſedeci in Geneſi hiſtoria, & noui Teſtamenti præ Veteri dignitatem ex Dei iureiurando demonſtrat, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*? Omnes eſſent deſcribendæ diuini viri epiſtolæ, ſi quæ illæ continent huiuſmodi probationum exempla omnia hic referre vellem. Hac enim ille diſputandi ratione perpetuo ac vbique vtitur; ex iis quæ in Scripturis leguntur plurima paſſim quæ non leguntur, inuicta ratiocinandi vi argumentans, ac concludens. Si vero [quod vult muſtea methodus] nihil ex Scripturis probari poteſt, niſi id ipſum quod in iis totidem verbis, atque apicibus legitur; quænam obſecro, & cuiuſmodi fuit illa eiuſdem Apoſtoli à Luca memorata cum Iudæis de Chriſto *ex Scripturis* diſputatio? ex quibus ille diſſerebat *quia Christum oportuit pati & reſurgere à mortuis & quia hic eſt Ieſus Chriſtus*? qualia item fuit illa Iudæorum conuictio, qua *Apollos* eodem Luca teſte, *per Scripturas oſtendebat eſſe Chriſtum Ieſum*! Apud omnes clarum atque confeſſum eſt in veteris Inſtrumenti libris nuſquam extare hanc totidem verbis expreſſam propoſitionem *Ieſus eſt Chriſtus*. Quî ergo fieri potuit, vt eam & Paulus, & Apollos ex veteribus Scripturis demonſtrarent? Nempe multa illi in Scripturis oſtendebant, ex quibus illa propoſitio neceſſario ſequitur. Omnia enim de Chriſto in veteribus Scripturis prædicta, ſedulo colligebant, & ex ijs in vnum comportatis hanc propoſitionem exſtruebant. *Qui his notis inſignitus eſt; ad hæc hoc loco, & hoc tempore natus eſt, quique hæc & iſta geſſit,*

Act. 17. 2. 3.

Act. 18.

gessit, passus est, docuit; is Christus est. Hoc ita semel ex Dei oraculis constituto, tum ad Iesum Dominum pergebant, eique clarissimis, atque omni exceptione majoribus testimonijs omnes illas Christo à Prophetis attributas notas vere inesse demonstrabant. Vnde sponte sua id profluebat, quod hinc illi concludebant, nimirum Dominum Iesum vere Christum esse. Hujus generis probationem duobus appositissimis verbis egregie expressit Lucas, dum Paulum ait ex Scripturis disseruisse, διανοίγοντα καὶ παρα-
Act. 17. 3. τιθέμενον *quod oportuit Christum pati & resurgere à mortuis* Horum enim verborum alterum διανοίγειν, quod est *aperire* & *patefacere*, significat Paulum veteris Scripturæ oracula, ac typos explicasse, & latentem in ijs sensum eruisse, & in apertum eduxisse; alterum vero παρατίθεσθαι, quod est *apponere & comparare*, ostendit eumdem erutos & in lucem protractos Scripturarum sensus Domini Iesu rebus aptasse & applicasse, & has juxta illos (vt sic dicam) posuisse ac collocasse, prædictiones cum eventis, vmbras cum corporibus, figuras cum rebus studiose comparantem; vt hinc veritatis Euangelicæ lumen sponte emicaret, ac effulgeret. Quando igitur hæc fuit & Christi & Apostolorum in disputando ratio, nisi quis summam Dei sapientiam, & fidelissimos ejus ministros hominibus illusisse, vanaq; & cassa sophismata pro veris solidisq; demonstrationibus vsurpasse, dixerit: necessario confitendum est ea ex Scripturis legitime, valideque confici ac probari, quæ ex iis quę in Scriptura continentur, evidenter ac

ter ac necessario consequi demonstrantur, licet ipsa in sacris illis litteris diserte, ac totidem verbis expressa non legantur. Ad hæc Christi & Apostolorum exempla accedit eorum, quæ nobis præcepisse reperiuntur, auctoritas; quæ sane sunt hujusmodi, vt illam colligendi, ac ratiocinandi rationem necessario constituant. Dominus enim Christus Iudæos, ex omnium fere veterum, ac recentiorum interpretum sententia, jubet apud Ioannem *Scripturas scrutari.* Atqui *Scripturas scrutari* nihil necesse erat, si non alia inde eos discere volebat, quam quæ in Sacris libris diserte, planeque, ac proprie dicta leguntur. Omnes loci circumstantiæ clamant Christum Iudæis hoc Scripturarum studium ideo commendasse, vt ex iis intelligerent ac discerent ipsum vere Christum esse à Deo promissum; quod tamen ex veteribus libris, nisi adhibita consecutionum & ratiocinationis luce, colligi aut concludi non potest. Vnde necessario conficitur hanc esse Domini voluntatem, vt nos ex Scripturis ea discamus, non modo quæ totidem verbis diserte in iis expressa leguntur, sed etiam quæ ex iis evidenti, legitimaque ratiocinatione deduci possunt. Alibi vero vbi cum Sadducæis mortuorum resurrectionem impie negantibus disputat, *Erratis* (inquit) *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Istos, vt vides, reprehen-

Ioan, 5. 39.

Matth. 22. 29. 31. 32.

prehendit, quod resurrectionem mortuorum ex hac Scripturæ sententia minime didicissent. Ergo didicisse debuerant; Non enim reprehendit Christus, nisi qui officio suo defuerunt. Atqui hæc quæ affertur Scripturæ sententia de mortuorum resurrectione nihil habet diserte, proprieque totidem verbis expressum, sed eam tantum certa quadam necessariaque consecutione ponit ac constituit. Itaque superest vt nostri esse in pietate officij fateamur non ea modo quæ in Scripturis legimus admittere ac credere, sed etiam in illis scrutandis versari, & quæ inde certo ac perspicue concluduntur, recipere, & pari cum cæteris fide ac veneratione amplecti; idque nisi præstiterimus, verendum esse ne cum Sadducæis *erremus, & Scripturas nesciamus.*

CAP. VI.

Nouam illam Sophistarum methodum veterum quidem Patrum in disputando rationi, atque instituto vehementer aduersari; hæreticorum verò & infidelium erroribus plurimum fauere.

HÆc Christi & Apostolorum exempla, præceptaque secuti veteris Ecclesiæ Magistri illam probandæ ac confirmandæ veritatis rationem vsurpare passim in omnibus suis disputationibus minimè dubitarunt; Semperque putarunt quæcumque ex Scripturis clarè legitiméque concluserant, se ea ex Dei verbo abunde

abunde docuisse, atque constituisse. Quos nuper nominauimus, ij aduersus hæreticos non aliter disputant, & quod raciocinandi atque argumentandi jus aduersariis concedunt, eo ipsi liberrime vtuntur. Longum est omnia eorum, quæ sunt huius generis, exempla, referre. Ego pauca ex immensa copia libabo. Illi ergo ex Scripturis probant contra Sabellianos Deum Patrem esse ἀγέννητον καὶ ἄναρχον, *ingenitum, & sine principio*; contra Arianos Filium esse ὁμοούσιον *Patri consubstantialem*; contra Nestorianos Beatam Virginem esse θεοτόκον *Deiparam*; contra Eutychianos Christum δύο φύσει *duas naturas* habere. Atqui nulla harum quatuor propositionum αὐτολεξεὶ, idest his ipsis verbis expressa vspiam in Scripturis legitur; ex quibus tamen eas se Patres probare ac demonstrare profitentur; vt ex ipsorum monumentis constat. Ergo hanc Patrum fuisse sententiam necesse est, vt ex Scripturis ea etiam valide, legitimeque probari, ac constitui putauerint, quæ tametsi αὐτολεξεὶ non legantur in Sacris libris, ex iis tamen ratiocinatione & argumẽtis dilucide aç necessario concluduntur. Et sanè siquis rem ipsam expenderit, ita reperiet; vel deserendam fuisse Dei & Ecclesiæ causam; vel eam disputandi rationem quam sequuti sunt Patres, ad reuincendos hæreticos ineundam. Nullà enim alia erat via, qua eos aggrederentur. Arianum hominem alicui ex istis nouæ methodi auctoribus in disciplinam tradamus, hæreseos conuincendum, & in pietate instituendum. Vnde quæso, qua ex parte, & qua ratione opus

aggre-

aggredietur? Quibus armis, vel qua arte hominem adorietur? Quo modo ei persuadebit Filium Patri esse consubstantialem? Disertum ea de re, ac proprium testimonium nullum afferet; neque enim in Scripturis vllum hujusmodi reperitur. Locis, ex quibus quæstio ratiocinando concludi potest, tametsi plurima hujus ordinis in Scripturis occurrant, nullis tamen vtetur. Non enim licet per methodum, quæ totum hoc probationis genus, velut futile, & incertum repudiat. Quid ergo aget? An vel Synodi Nicænæ, vel Ecclesiæ, quam Catholicam ipse censet, auctoritatem adversario objiciet? Atqui hoc non disputare fuerit sed nugari, & ad concludendam quæstionem id ipsum afferre, quod quæritur. Si enim hic adversarius vel Synodi Nicænæ fidem vel Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem admitteret, ne Arianus quidem esset. Ab vtraque ob id ipsum discessit, quod tu ipsi persuadere cupis. Ergo te tua, vt vides, *methodus* in hunc quidem adversarium plane, penitusque exarmavit, vt ei per te liceat æternùm esse Ariano. Neque vero fœlicius vel adversus Sabellianum, vel adversus Eutychianum pugnabis, vel omnino adversus vllum hæreticum; ex eorum quidem genere, qui dogma aliquod Ecclesiasticum negant, nusquam in Scripturis diserte, atque αὐτολεξεὶ expressum. Sed & Iudæos quoque præclara illa tua methodus juvat, eorumque in Christum perfidiam munit, atque obsepit. Quicquid enim ex veteri Testameto ad firmandum, ac constituendum novum adducemus, id

illi

isti recutiti tuo deinceps exemplo freti, securè irridebunt; tecum affirmabunt *nostras è Scripturis ratiocinationes totidem esse delirationes; totidem ægrotorum hominum cassa, & inania somnia*; tecum flagitabunt *diserta ac formalia testimonia*; neque se aliter Christo credituros, nisi è veteribus Scripturis locum aliquem edamus, in quo planè ac propriè, totidémque verbis atque apicibus legat *Iesum Mariæ Filium, Bethlehemi Augusto imperāte natum, Christum esse divinis oraculis Israëli promissum*. Vides, quo tandem exeant tuæ gloriæ? Nimirum si verum audire potes, tu methodū reperisti, qua non hæresi, sed fidei os occludatur; qua error, & perfidia, non (quod tu stulte jactas) exuatur, sed armetu; non labefactetur, sed muniatur; quâ denique Ecclesia pro victoriis & triumphis, quos crepas, funeribus ac cladibus mactetur. Quod si olim publico Conciliorum anathemate, & servitute digni judicati sunt, si qui *Saracenis arma, ferrum, & ligamina galearum detulissent*; quibus fulminibus, quibus-ve anathematismis digni sunt musteæ methodi parentes, qui Iudæis & hæreticis scutum porrigunt adversus omnia fidei tela tutum & invictum? Ecclesiámque eo gladio spoliant, quo vno ad confodiendos omnes hostes à Deo erat accincta, cœlesti scilicet verbo, cujus mucronem infœlices magistri suis commentis ita retundunt, vt nulli per istos vsui amplius esse possit?

Conc. Later. sub Alex. III. c 24. It. Conc. Lat. sub Innoc 3. Exped. pro recup. terras. p. 63.

Sed non solis Scripturis contumeliosa est Methodus; quarum nobis vsum ac præsidium adversus eos eripit, qui vel vniversas, vel ali-

quam certè earum partem admittunt, simili quoque insania pulsat quicquid veri humanis sensibus, ac mentibus insevit summi numinis providentia. Omne illud lumen, quod divino beneficio etiamnum in tenebris lucet, nullius usus esse potest vel ad erudiendos, vel ad revincendos homines à fide alienos; si stant brutæ illæ ac pecuinæ novæ methodi leges. Verum enim ad hos usus, nisi ratiocinando, adhiberi non potest: ratiocinationem vero omnem, veluti rem inanem, incertam, ac ludicram, explodit methodus. Nunc ex beatæ hujus artis inventis nemo erit, qui non flagitet *diserta ac formalia de eorum,* quæ sibi credenda proponentur, veritate, *testimonia.* Sibi quisque licere putabit iis solis assentiri; quæ ab ipsa Natura didicerit. Paganus Dei unitatem explodet; quod ea ex communibus naturæ notionibus non aliter quam ratiocinando concluditur. Siquid vel de Dei justitia, bonitate, atque potentia, vel de Scripturæ veritate, & Ecclesiæ auctoritate, aliisque Christianæ religionis fundamentis ex iis rebus àrgumenteris, quæ sunt naturali mentis luce cognitæ; ille tuam omnẽ ratiocinationem contemnet, atque etiã exsibilabit, quam à te scilicet didicit vanum esse & incertum, nulloque firmo assensu dignũ mentis humanæ lusum. Denique nihil unquã egregia ista methodo post homines natos inventũ est impeditius, incõmodius, atq; pestilentius, quæ erepta rationis luce sublatáque de medio controversiarũ dirimendarũ facultate, hoc vnum si obtineat, efficit, ut æternæ futuræ

sint

ſint omniũ ſiue de philoſophia, ſiue de religione inter ſe diſſentientium lites ac pugnæ. Cum enim novæ iſtius artis leges nihil aliud ad decidendas controverſias afferri, atque adhiberi patiantur, niſi diſerta, expreſſaque, & *formalia* eorum, quorum auctoritas apud vtramque partem confeſſa ſit, teſtimonia; apparet nullum vnquam fore vllius diſſenſionis finem, quæ ſcilicet non aliunde orta eſſe intelligitur, quam ex eo quod illud ipſum deſit, quod ne deſit, methodus requirit. Nam ſi in communibus diſſentientium principiis extaret hujuſmodi aliqua diſerta, expreſſaque controverſiæ definitio, apparet eos ne diſſenſuros quidem inter ſe vnquam fuiſſe. Exempli gratia, ad eam diſceptandam, quæ cum Romanarum partium hominibus nobis eſt de Papæ poteſtate controverſiam, vetat methodicus ſophiſta aliud à me ex Scripturis afferri teſtimonium, niſi quo diſertis ac propriis verbis expreſſum legatur *non eſſe Papam Eccleſiæ vniverſalis caput.* Atqui ſi hujuſmodi in Scripturis teſtimonium extaret, ne adverſarios quidem (qui de divina ſcilicet earum auctoritate mecum conſentiunt, ac confitentur) hanc ſuo Papæ dignitatem vendicaturos vnquam fuiſſe apparet. Itaque iſtos dum ſic agunt, quis non videt ad hanc componendam controverſiam id requirere, quod inveniri non poteſt? idque adeo velle, moliri, ac contendere, vt hæc & alia conſimilia de religione certamina perpetua ſint, neve vnquam commodè, ac certò liquidóque cerni, ac decidi poſſint?

Si ergo verè cupiamus eas controversias, quæ nunc inter nos de religione agitantur, tandem aliquando explicari, atque definiri, nihil aliud superest, quam ut rejecta & abdicata inprimis insana istorum methodo illam ipsam viam, quam hi nequicquam intercludunt, atque obsepiunt, ingrediamur; nostráque singuli de rebus controversis judicia, ac decreta ex communibus vtrorúmque principiis, cujusmodi sunt divina tum veteris, tum novæ Scripturæ oracula, confirmemus, ac probemus; ex certis dubia definiamus; ex claris & perspicuis obscura illustremus, quæ velut falsa ab adversario rejiciuntur, horum fidem ex nexu astruamus, quo cum iis necessariò cohærent, quæ idem verissima esse confitetur. Hæc una est Methodus, quæ in omnium controversiarum disceptatione necessariò adhiberi, atque retineri debet; quámque sanè in omnibus suis disputationibus hactenus secuti sunt & Philosophiæ, & Medicinæ, & Iurisprudentiæ, & cæterarum disciplinarum magistri. Hanc jampridem Augustinus laudavit, & à stultis, improbísque Donatistarum calumniis, atque cavillationibus defendit; à quibus, quod ea ipse in disputando egregiè uteretur, homo *Dialecticus* invidioso apud Christianos illius ævi *vocabulo dicebatur*, eóque nomine *fugiendus potius & cavendus, quam refellendus, revincendúsque censebatur.* Ille verò fusé demonstrat Christum ipsum, & Apostolum eadem hac arte usos esse, planéque *Dialecticos* fuisse, si *Dialecticus* quidem is est, qui ratiocinatur, & ex claris

Aug. contr. Crescon. lib.1.c.13.T.7.

ibid.c.14. & 17. & 18.

claris certisq;dubia atque obscura definit ac cōcludit. Verum autem *disputatorem* describens, quíque & qualis sit demonstrans, *Qui autem* (inquit) *verus disputator est, id est veritatis à falsitate discretor est, primò id apud se ipsum agit, ne non rectè discernens ipse fallatur; quod nisi divinitus adjutus peragere non potest. Deinde cum id, quod apud se egit, ad alios docendos profert, intuetur primitus, quid jam certi noverint, vt ex his eos adducat ad ea, quæ non noverant, vel credere nolebant, ostendens ea consequentia his, quæ vel scientia, vel fide retinebant, vt per ea vera de quibus se perspiciunt consentire, cogantur alia vera, quæ negaverant, approbare: & sic verum, quod falsum antea putabatur, discernatur à falso, cùm invenitur consentaneum illi vero, quod jam antea tenebatur.* Hactenus Augustinus; disertissimè ac luculentissimè eam disputandi rationem confirmans, ac constituens, quam tantis hodie clamoribus insulsissimi quidam sophistæ vexare atque insectari non dubitant. ibid c.15. g

CAP. VII.

Eâ disputandi ratione, quam nunc sequuntur cerebrosi sophistæ, jampridem adversus Catholicos veteris Ecclesiæ Doctores vsos esse & Arianos & alios hæreticos non paucos.

AC tametsi tantis antiquitatis laudatoribus indignissimum sit de edita novitate gloriari; neque sanè magna laude dignum sit

rem tam ineptam, tamque absurdam, tamque & à Christi, & Apostolorum, Patrúmque vsu, &à communi omnium hominum sensu atque ratione alienam reperisse; tamen ne quid hodiernis Sophistis supersit, quo sibi placeant, séque, vt solent, apud imperitorum vulgus jactent; non pigebit lectorem admonere istos præclaræ hujus artis, qua vna superbiunt, ne auctores quidem, quod videri volunt, fuisse. Primos illis præivisse reperio quosdam vetutissimos ex simplicioribus Christianis, qui in quęstione an fidelibus liceret Paganicis circi Theatri & aliis ejusdem generis spectaculis interesse, propria disertáque Scripturæ testimonia requirebant; vt ex Tertulliano discimus. *Quorundam* (inquit) *fides aut simplicior aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de Scripturis auctoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuncietur servis Dei abstinentia ejusmodi.* Sed & secutis temporibus hanc videmus Arianorum & aliorum hæreticorum fuisse sophisticen; qui vt veritatis inquisitionem, atque investigationem declinarent à sui temporis Catholicis (planè vt à nobis nunc Sophistæ solent) loca Scripturæ *diserta ac formalia* flagitabant; in quibus *Filij* verbi gratia *cum Patre consubstantialitas, &* alia de quibus Ecclesiam vexabant, totidem verbis syllabisque expressa legerentur. Apud Athanasium vbi de *consubstantialis* vocabulo à Patribus Nicænis vsurpato quæritur, ἀλλ' οὐ γέγραπται ταῦτα, inquiũt Ariani. *Sed hæc non sunt scripta.* Ita in Dialogo quodam, qui Athanasij nomi-

Tertul. l. de spect. c. 3. p. 90 D.

ep. de syn. Arim. & Seleuc. p. 911. 9.

nomine, ſed falſo (vt mihi quidem videtur) circumfertur, diſputator Arianus ἐκκλίνας ἀπὸ τῶν συλλογισμῶν ἔγγραφόν μοι δὸς ἀπόδειξιν εἰ ἀληθινὸς θεός ἐστιν ὁ υἱός. *Omiſsis ſyllogiſmis des mihi ſcriptam demonſtrationem, verum Deum Filium eſſe.* Sic apud Auguſtinum Paſcentius Comes, homo Arianus, ipſum ὁμοουσίου (id eſt, *conſubſtãtialis*) verbũ in Scrip. legi improbè flagitat: rẽ ex ijs ratiocinando colligi ac demonſtrari, non patitur. Alibi cum Auguſtinus Spiritum Sanctum ex eo verum Deum eſſe demonſtraſſet, quod ejus templa fideles ab Apoſtolo eſſe dicantur, templa vero niſi ejus, qui verè Deus ſit, nulla ſint, Maximinus Arianorum antiſtes, planè ex hodierna ſophiſtarum diſciplina reſpondet *veritatem non ex argumento colligi, ſed certis teſtimonijs comprobari.* Ita apud Victorem Vitenſem Hunnericus, Rex Vandalorum Arianus, in edicto quo Catholicos Eccleſiarũ Africanarum Epiſcopos ad colloquium de fide cum ſuis habendum convenire, jubet eos *Omouſianorum fidem de divinis Scripturis* PROPRIE *approbare.* Itemque poſtea in alio edicto narrat noſtris in illo conventu à ſuis fuiſſe propoſitum, *vt homouſion ex divinis Scripturis* PROPRIE *approbarent.* * Hæc vero ipſiſſima eſt novorum Sophiſtarum methodus; qua Ariani Catholicos vrgebant, vt Filij cum Patre *homouſion* ex Scripturis PROPRIE *approbarent*; id eſt ijs teſtimonijs, non ex quibus res ipſa ejúſque veritas evidenter ac neceſſariò concluderetur, ſed in quibus illud rei vocabulum nudè propriéque poſitum legeretur. Hæc erat vna

Dial. cõtr. Ar. p. 126. d. T. 1.

Aug. ep. 174. c. 178.

Aug. l. 1. contr. Maxim. f. 144. g.

Vict. de perſecut Vand. l. 2. Bibl. Patr. T. 7. p. 601. c.

* Id. ibid. L. 3. p. 608. A.

Arianorum machina, quâ se orthodoxos facili ac nullo negotio superaturos, iisque silentium imposituros sperabant. Quod & ex aliis veterum monumentis etiam clariùs intelligitur. Extat enim vetus Dialogus Vigilii quidem nomine publicatus, sed qui re vera Gelasii est, & quidem non (quod multi putarunt) Romani, sed (quod nos disertè docet Aurelianensis Theodulfus *) *Africani* ac (vt eruditorum ex Notitia Episcoporum Afrorum Sirmondinâ conjectura est) Thansensis Episcopi. In eo Dialogo Sabellius & Arius cum Athanasio de suis dogmatibus, judice Probo colloquentes inducuntur; Atque Arius quidem sic disputat, vt eum nostrorum sophistarum congerronem ac consectaneum putare possis. Iubet Athanasium *consubstantialis* nomen *aut propriè positum legere, aut ab ejus confessione recedere.* Ratiocinando ex Scripturis colligi non sinit; nuda puráque verborum proprietate demonstrandum contendit. Pneumatomachos, sive hæreticos Spiritus Sancti divinitatem negantes eadem cavillatione vsos quoque esse in suis adversus Orthodoxos disputationibus & paulo ante ex Augustino allatum Maximini pro hoc errore responsum docet; & clarè scribit Gregorius Nazianzenus, cum eos Scripturas ita urgere solitos testatur, *vt litteræ servirent, Iudaicæque sapientiæ se adjungerent, relictisque rebus syllabas consectarentur.* Quemvis enim ex eo hæreticorum ordine alloquens, πῶς (inquit) ὅτω συ λίαν δυλεύεις τῷ γράμματι, κὰι γίνῃ μετὰ τῆς Ιυδαϊκῆς σοφίας, κὰι συλλαβαῖς ἀκολυθεῖς, ἀφεὶς τὰ πράγματα;

* l. de Spiritu S.

inter. Cassandri op. p. 475.

Greg. Naz. Orat. 37. quæ est 5. de Th. T. 1. p. 606.

πράγματα; Nimirum isti, vt ex tota Gregorii disputatione apparet, omnem ex Scripturis ratiocinationem respuebant; nudas voces & id quod erat in quæstione positum, disertè totidémque syllabis atque apicibus definientes poscebant. Eutyches, alius hæreseos signifer, eodem & ipse modo disputat; vrgens Catholicos vt duas, quas ipse negabat, Domini Christi naturas, disertè in Scripturis positas demonstrarent; ποία (inquit) γραφῆ κεῖται, δύο φύσεις. *In qua Scriptura positæ extant duæ voluntates?* Eandem fuisse discipulorum Eutychetis proterviam satis ex Theodoreto discimus, *cujus verba mox referemus*. Postremò Theodosius Cæsareæ Episcopus, Monotheletarum fautor (quæ secta Eutychianismi propago fuit) in collatione cum Maximo Monacho Orthodoxo & Martyre an. D. 656. habita, cum hic allatum ab illo ex Cyrillo locum expendere se velle dixisset, & *vocum*, quas continebat, *sensum scrutari*; *Hoc* (inquit) *non permitto fieri. Simplices enim voces necessarium habes recipere*; Et mox iterum, *Vt sicuti est* (inquit) *recipias vocem & ne scruteris sensum ejus.* Itaque mirandum non est, quod multis postea temporibus Scholarius scripserit *hoc prætextu multos dudum hæreticos usos esse*; nempe vt flagitarent omnia sibi in Scripturis disertè ac αὐτολεξεὶ expressa demonstrari.

Theodo. λόγῳ 16. 13.

Collat. Max. cũ Theod. p.164. In Collect. Anastas. à Sirmõdo editis a D.1620.

in Act. Concil. Chalced. p. 115.

CAP. VIII.

Methodum illam, velut absurdam, & futilem à Patribus fuisse explosam; quam & nobis veterum exemplo licere in adversarios ea nunc vtentes retorquere.

EX his tenemus eam ipsam disputandi rationem, quam hodie non pauci ex adversarijs sophistæ sequuntur, à veteribus hæreticis fuisse olim contra Catholicos vsurpatam. Quid vero ad hæc Patres? Concedebant-ne nihil pro Scripturæ dogmate habendum, nisi quod in ea totidẽ verbis expressum legeretur? Et à Scripturis depulsi, eò-ne confugiebant, quò omnes nostrorũ cavillatorũ nunc tẽdunt technæ, vt quæ disertis divinorum librorum testimonijs demonstrari non posse videbant, ea Ecclesiæ auctoritate defenderent ac vindicarent? Illos vero nihil istorum in omni hac disputatione adhibuisse clarum est. Ita Tertullianus suis illis simplicioris, aut scrupulosioris fidei hominibus satisfacit, concedens quidem nullum adversus spectacula Paganica nudum Scripturæ, quod flagitabant, testimonium extare, rem vero ipsam ex Scripturis ratiocinando conficit; *Planè* (inquit) *nusquam invenimus, quemadmodum apertè positum est, Non occides, Non idolum coles, Non adulterium, non fraudem admittes; ita exsertè definitum, Non ibis in circum, non in theatrum, agonem, munus non expectabis. Sed invenimus ad hanc quoque speciem*

Tertull. L. de spectac. c. 3.

ciem

ciem pertinere illam primam vocem David, Fœlix vir inquit qui non abijt in concilium impiorum & cætera, ex quibus varijs rationum machinis toto libro validiſſimè conficit nefas eſſe hominem Chriſtianum Paganicis illis ſpectaculis intereſſe: Sic etiam Patres Tertulliano recentiores cum hæreticis agunt eandem ſophiſticem vſurpantibus. In Scripturis hærent; in vna earum auctoritate omne ſuæ cauſæ præſidium collocant. Sed qui ea, quæ adverſus hæreticos defendebāt, *in vaſto divinorū librorū inſtrumēto* totidē verbis atque ſyllabis ſcripta non legi confitentur, illud conſtanter retinent ac pertendūt ſatis eſſe ſi res ipſa in iis extaret, & ex iis legitimè ac dilucidè cōcluderetur. Itaque miſſa hac omni hæreticorum pervicacia atque improbitate, in eo vno laborant, vt quæ ab iſtis reijciebantur Eccleſiæ dogmata, ea argumentis ex Scriptura ductis probent ac confirment; quod vbi præſtiterunt, profiteri non dubitant ſe ea ex Scriptura demonſtraſſe atque conſtituiſſe, κἂν de Syn.
ἀγράφους τις λαλῇ λέξεις (inquit Athanaſius, Aria- Arim. &
nis reſpondens) οὐδὲν διαφέρει ἕως εὐσεβῆ τὴν διάνοιαν Seleuc. p. 913. d.
ἔχει. *Atqui nihil id refert: ſiquis voces in Scriptura* T. 1
non repertas, vſurpet, quandiu pias ſententias complectitur. Idem alibi; εἰ καὶ μὴ οὕτως ἐν ταῖς γρα- l. de decr & Syn
φαῖς εἰσιν αἱ λέξεις, ἀλλὰ καθάπερ εἴρηται πρότε- Nic. p. 270. 6.
ρον, τὴν ἐκ τῶν γραφῶν διάνοιαν ἔχουσι. *Hæ voces, ta-* T. 1.
metſi in Scripturis non reperiantur, habent tamen, vt priùs dictum eſt, eam ſententiam, quam Scriptura volunt. Ita etiam Auguſtinus, Paſcentii proterviam comprimens; Quid eſt (inquit) contentioſius, *quam vbi de re conſtat, certare de* ep 174.

no-

ibid.

nomine? Et paulo poſt; *Vides* (inquit) *poſſe fieri, vt etiam de verbo, quod in Scriptura Dei non eſt, reddatur tamen ratio, vnde rectè dici oſtendatur.* Maximino item improbiùs flagitanti, ut diſertis, ac nudis Scripturæ verbis probaret Spiritum Sanctum eſſe adorandum; *Quaſi non ex iis* (inquit) *quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus.* Ex qua diſtinctione capiendum eſt, quod alibi de ſe teſtatur; *Nos quoque* (inquit) *ſecundum Scripturas ſacras, vel quod in eis legimus, vel quod ex eis intelligere potuimus, earum congruentes auctoritati de his rebus in ſuperioribus diximus.* His Auguſtini illa quoque Chryſoſtomi conſentanea ſunt; λέγεται γὰρ γεγράφθαι καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν, ἢ ὅταν τὸ αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ᾽ αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων. *Dicitur enim ſcriptum eſſe, etiam quando non verbis, ſed rebus ipſis ſita fuerint in hiſtoriis; aut quando ipſe quidem ſenſus fuerit poſitus, ſed non ipſis, iiſdemque verbis.* Eadem ante iſtos docuerat Gregorius Nazianzenus, quo loco contra eos hæreticos diſputat, qui Spiritus Sancti quam negabant, divinitatem diſerto Scripturæ teſtimonio probari pari cum Maximino improbitate poſtulabant. Noſtri Sophiſtæ, ſi in hújuſmodi hæreticos incidiſſent, ex ſuæ methodi decretis neceſſariò cogerentur concedere id dogma (quod in religione Chriſtiana capitale eſt) non poſſe ex Scripturis probari; in quibus ſcilicet nullus de eo diſertus, totidémque verbis expreſſus locus occurrit. Non ita Gregorius; qui de ea ratione,

l. 1. contr. Max. c. 3.

l. 15. de civit. D. c. 1.

hom. 7. in 1. Cor. p 380. f. edit. Heid. p. vero 65. A. edit. Par.

tione, quam in docenda religionis veritate ſequuta eſt Scriptura, hæc graviter ſanè, ac ſapienter obſervat. Τῶν πραγμάτων τὰ μὲν οὐκ ἔστι, λέγεται δὲ· τὰ δὲ ὄντα, οὐ λέγεται. τὰ δὲ οὔτε ἔστιν, οὔτε λέγεται. τὰ δὲ ἄμφω καὶ ἔστι καὶ λέγεται. *Rerum aliæ non ſunt, ſed dicuntur; aliæ cum ſint, non dicuntur; aliæ nec ſunt, nec dicuntur; aliæ denique & ſunt, & dicuntur.* Exempla primi generis ponit *ſomnum, vigiliam, & motum Dei*; ſecundi, ejuſdem impaſſibilitatem; & τὸ ἄναρχον, *quod principio careat.* Scriptura enim *dormire, evigilare, & loco moveri Deum*, quod ſæpe dicit, non ſignificat tamen, ac tametſi hæc in ejus verbis identidem occurrant, nunquam tamen in ejus ſenſu inſunt. Viciſſim etiamſi apud eam nuſquam legamus totidem verbis Deum eſſe *impaßibilem*, vel ἄναρχον; rem tamen ipſam aliis in ea vocibus non uno in loco expreſſam atque ſignificatam reperire eſt. Id Gregorius ab adverſariis extorquet, qui cum docerent Deum eſſe ἀγέννητον & ἄναρχον *ingenitum & principio carentem*, neque tamen ullum Scripturæ locum adducere poſſent, in quo hæc αὐτολεξεὶ haberentur, omnino vel inviti cogebantur fateri etiam quædam in Scriptura doceri, quæ in ea, ſi verba ſpectes, minimè legerentur. Itaque cum vel ipſis fatentibus, rectè ac legitimè probaretur ex Scripturis Deum eſſe ἀγέννητον καὶ ἄναρχον, tametſi eæ nuſquam hæc verba de Deo ita propriè diſertéque uſurparent; concludit futilem ac ridiculam eſſe iſtorum cavillationem, qui Spiritus Sancti deitatem ex Scripturis demonſtrari poſſe ideo negabant

Orat. 37. quæ eſt 5. de Th. p. 605. C. T. 1.

bant, quod ea nuſquam his ipſis verbis ita expreſſa in divinis codicibus legeretur. δεῖξον ταῦτα ὀνομαςὶ (Deum ſcilicet ἀγέννητον eſſe & ἄναρχον) ἢ ἀθετήσομεν, ἐπειδὴ οὐ γέγραπται. Hoc *nominatim & expreſsè oſtende; aut ea reijciemus, quia in Scriptura non extant.* Mox; πῶς οὕτω σὺ λίαν δουλεύεις τῷ γράμματι, καὶ γίνῃ μετὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς σοφίας, καὶ συλλαβαῖς ἀκολουθεῖς, ἀφεὶς τὰ πράγματα, εἰ δέ σου τὰ δὶς πέντε λέγοντος, ἢ τὰ δὶς ἑπτὰ, τὰ δέκα συνῆγον, ἢ τεσσαρεσκαίδεκα ἐκ τῶν λεγομένων, ἢ ἐκ τοῦ ζῶον λογικὸν θνητὸν, τὸν ἄνθρωπον, ἆρα ἄν σοι ληρεῖν ἐνομίσθην, καὶ πῶς τὰ σὰ λέγων, οὐ γὰρ τοῦ λέγοντος μᾶλλον οἱ λόγοι, ἢ τοῦ λέγειν συναναγκάζοντος *Quid cauſa eſt, cur litteræ tantopere ſervias, Iudaicaque ſapientiæ te ipſum adjungas, relictiſque rebus ſyllabas conſecteris? Quod ſi te bis quinque, aut bis ſeptem dicente, decem, aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo, quod animal ratione præditum, & mortale diceres, hominem eſſe concluderem, an tibi nugari viderer? Nequaquam profecto, cum tua dicerem. Neque enim hæc verba magis ſunt eius, qui loquitur, quam illius, qui loquendi neceßitatem adfert.* Hactenus Gregorius; ea quæ ex Scripturis ratiocinando concluduntur, clariſſimè, vt quivis videt, conſtituens. Maximus, vt putant eruditi* Dialogorum auctor, qui inter Athanaſij opera circumferuntur, vnum ex iſtis hæreticis (qui Macedonianorum nomen ab auctore ſuo nacti ſunt) cum orthodoxo homine colloquentem inducit, atque eadem illa, quæ ex Gregorio audivimus, objectantem; Ἀλλ' οὐδαμοῦ γέγραπται, ὅτι θεός ἐστι τὸ πνεῦμα. *Sed nuſquam*

ibid. p. 606. a.

ibid. d.

*vid. Riveti Critici Sacri l. 3. c. 4. p. 271.

Dial. cõtr. Mace. T. 2. Ath. p. 276. B.

Scriptum est, Spiritum esse Deum His orthodoxum ita facit respondere; Δῶμεν ὅτι οὐ γέγραπται τὸ Θεός. σὺ δὲ τὴν φύσιν ὁμολόγει, καὶ τὰς θεικὰς ἐνεργείας καὶ ἀρκεῖ μοι πρὸς τὴν ὁμολογίαν τῆς θεότητος MAK. Διὰ τί ὃ οὐ γέγραπται, σὺ λέγεις; ΟΡΘ. γέγραπται μὲν σὺ δὲ τὴν φύσιν ὁμολόγει. Καὶ εἰ μὴ γέγραπται αὐτή ἡ φύσις τὸ ὄνομα ἑπόμενον ἔχει. Ὡς γὰρ ἐὰν ὁμολογηθῇ πνεῦμα ἐνυπόστατον, ἁγιαστικὸν, ἄκτιστον, Θεὸς ἐστι κἂν μὴ θέλῃς. MAK. Ποῦ γέγραπται, ὅτι Θεὸς τὸ πνεῦμά ἐστιν? ΟΡΘ. ἔνθα γέγραπται τὸ ὅμοιον καθ' οὐσίαν. MAK. Ἀλλ' οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ ὁμοούσιον καθ' οὐσίαν εἶπον περὶ τοῦ υἱοῦ ΟΡΘ. Ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῆς γραφῆς κινούμενοι, ἢ ἀπὸ ἰδίας αὐθεντίας εἰρήκασι τὸ μὴ γεγραμμένον; MAK. Ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῆς γραφῆς κινούμενοι. ΟΡΘ. Καὶ ἡ ἔννοια τῆς γραφῆς διδάσκει τὸ ἄκτιστον πνεῦμα ἐκ Θεοῦ ὂν, καὶ ζωοποιὸν καὶ ἁγιαστικὸν θεῖον εἶναι πνεῦμα. *Demus vocabulum Dei in Scriptura Spiritui non tribui. At tu naturam, itemque effectiones divinas de eo confitere, id quod mihi quidem satis est ad Deitatis confessionem.* MAC. *Qua de causa dicis, quod Scriptum non extat?* ORTH. *Scriptum sanè extat; Tu vero naturam confitere. Ac vt maxime Scriptum non esset, natura ipsa hoc sibi nomen vindicat. Si enim in confesso fuerit Spiritum in se subsistere, sanctificare, increatum esse, Deus erit vel te contradicente.* MAC. *Vbi Scriptum est Spiritum esse Deum?* ORTH. *Vbi Scriptum est similem esse secundum essentiam.* MAC. *Atqui Patres nostri æqualitatem essentiæ de Filio dixerunt.* ORTH. *Movit-ne illos Scripturæ mens, & sententia, an sua ipsorum actoritas, vt proferrent, quod non extaret scriptum?* MAC. *Movit illos Scripturæ mens,*

&

& sententia. ORTH. *At Scripturæ sententia docet Spiritum increatum, ex Deo existentem, vivificantem, & sanctificantem esse Dei Spiritum.* Atque hæc quidem Maximus clarissimè definiens ex Scripturæ non modo verbis, sed etiam sensibus fidei nostræ dogmata per ratiocinationem constitui, ac demonstrari posse. Idem Theodosium illum, quocum de fide colloquebatur, quædam Cyrilli verba pro Monotheletis arripientem, neque eorum sensum ratione investigari patientem ita compescit; *Evidenter* (inquit) *novas & extraneas Ecclesiæ, etiã super vocibus introducitis leges. Si secundum vos non oportet scrutari voces Scripturarum, ac Patrum, abjecimus omnem Scripturam, veterem scilicet atque novam.* Audivi enim dicentem David; Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum; *præsertim cum nemo sine scrutinio posit exquirere Deum.* Et pluribus dictis in eandem sententiam, *Vt apparet* (inquit) *similes nos vultis esse Iudæis, qui simplicibus, vt dicitis, vocibus, id est sola littera, velut quadam mole mentem obruentes, evulsi sunt à veritate.* Planè ut Gregorius nuper eandem viam terentibus Pneumatomachis *Iudaïcam sapientiam* exprobrabat. Sed & pæne duobus antè Maximum sæculis eandem illam hæreticorum insaniam egregiè traduxerat Theodoretus Cyri Episcopus. Is enim in duobus libellis (quos ipsius verè esse nos docet Photius; quamvis ii hactenus Athanasio magno errore attributi sint in vulgatis libris) ostendit Methodicorũ nostrorum spiritum suis temporibus

Maxim. in Coll. cũ Thc. Collect. Anastas. p. 165.
Psal. 118. (Hebr. 119.) 2.
Phot. Bibl. cod. 46.

bus in quibusdam hæreticis jam grassatum fuisse, quos ipse quidem non nominat, sed Eutychianos fuisse ex iis, quæ ipsis tribuit, non est obscurum. Eos in ipso opusculi titulo sic describit; πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι χρὴ δέχεσθαι τὰς φωνὰς, T. 2. Athan. p. 309.
καὶ μὴ σκοπεῖν τὰ δι' αὐτῶν σημαινόμενα, ὡς ἅπαντας ὑπερβαίνοντα. *Adversus eos, qui dicunt simpliciter esse sacrarum litterarum voces accipiendas; nec quid illæ significent, considerandum, cum omnium hominum captum excedant.* Tum; ἀκούειν μὲν ἁπλῶς ἀναγκάζουσι, νοεῖν δὲ εὐσεβῶς οὐκέτι ἐπιτρέπουσι. Ibid. c.
Item: προστάττουσι τοῖς μὲν ὠσὶν ἀκούειν, τῇ δὲ καρδίᾳ μὴ συνιέναι, μήτε τὸ ἀκόλουθον τῶν λεγομένων σκοπεῖν &, καὶ τὴν πίστιν ὀνομάζουσι τὴν ἀβασάνιστον ἐπὶ τοῖς ἀστάτοις καὶ ἀναποδείκτοις ἐπὶ βλάβῃ συγκατάθεσιν. Ibid. d. Ibid. p. 325. d.
Simpliciter contendunt audiendum, pie autem intelligendum minime concedunt. Item; *Sic enim præcipiunt auribus quidem audiendum; corde vero non intelligendum, nec dictorum consequentiam spectandam.* Et alibi; *Fidem nominant inconsideratam, ideoque noxiam assensionem, atque approbationẽ inconstantium, nullusq; demonstrationib. suffultorũ dogmatũ.* Ait eos jubere, ut ἀλόγως πιστεύωμεν *sine ratione credamus*; jubere ἁπλῶς πιστεύειν τοῖς λεγομένοις, καὶ μὴ κατανοεῖν τὸ πρέπον ἢ ἄπρεπες, & mox, μὴ ἐξετάζειν τι δυνατὸν, ἢ συμφέρον, ἢ πρέπον, ἢ θεῷ φίλον, ἢ τῇ φύσει κατάλληλον, ἢ τῇ ἀληθείᾳ σύμφωνον, ἢ τῷ σκοπῷ ἀκόλουθον, ἢ τῷ μυστηρίῳ ἁρμόδιον, ἢ τῆς εὐσεβείας ἄξιον. Tum, ἀξιοῦσι πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτῶν λεγομένοις ἀκρίτως πιστεύειν. &, παραιτοῦνται τὴν ἐξέτασιν, ἵνα φύγωσι τὸν ἔλεγχον. *Simpliciter credere iis, quæ dicuntur, neque inquirere, quid fieri possit, aut utile sit, aut deceat, aut Deo gratum,* Ibid. Ibid. d. Ibid. p. 326. a.

aut naturæ congruum, aut veritati consonum, aut quid efficiatur ex proposito, & sit consequens, aut mysterio respondeat, aut pietate dignum sit. Item; *Postulant, ut re in nullam partem discussa fides suis habeatur dictis.* Et, *Deprecantur examen, ne convincantur erroris.* Methodicorum nostrorum vides deliria; sola diserta, ac ut loquuntur, *formalia* testimonia admittentium, omnes expositiones, cõfirmationes, & ratiocinationes, atq; demonstrationes præfracte repudiantium. Illos autem Theodoretus gravissime insectatur, atque his verbis, veluti rationis, ac humanæ ipsius naturæ eversores incusat; οἱ πάντα (inquit) ἀνατρέπειν ἀγωνιζόμενοι τὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σπουδάζοντες μηδὲ τοὺς ἀνθρώπους ἔτι λογι-
Ibid. p. 309. a. κοὺς, τυγχάνειν. [a] τάχα καὶ πρὸς ἀλόγων ἕξεις μεθίστασθαι τοὺς ἀνθρώπους προστάττουσι. [b] τοὺς προφήτας
b Ibid. d. καὶ τοὺς ἀποστόλους μάτην ταῖς ἀκοαῖς ἐνηχεῖν, καὶ πάντα λόγον ἀνωφελῆ καὶ ἀνενέργητον μένειν, καὶ τοὺς ἀκούοντας μηδεμίαν ὄνησιν εἰς τὰ ταμιεῖα τῶν καρδιῶν παραπέμ-
c Ibid. b. πειν. *Quæ hominum sunt omnia subvertere conantur, magnoque id studio agunt, vt mente homines rationali exuant.* Item; *Forte & in brutorum animantium naturam mutari homines præcipiunt.* Et; *Tam Prophetarum, quam Apostolorum voces frustra aures personare nostras; sermonem eorum omnem inutilem & inefficacem esse; auditores denique ne minimum quidem fructum, in cordium suorum arculas transmittere, &c.* Affirmat hac istorum ratione, sive methodo, ita perturbari atque permisceri omnia, vt qui eam sequitur, is neque inter se conciliare quæ pugnare videntur, neque apta responsione iis qui interro-

interrogant ſatisfacere poſſit. πῶς νοήσει (inquit) τὰ μάχεσθαι ἀλλήλοις δοκοῦντα κατὰ τὸ πρόχειρον; πῶς εὑρήσει τὴν ἁρμόζουσαν λύσιν; πῶς ἀπόκρισιν δώσει τοῖς ἐπερωτᾷν βουλομένοις. [d] *Quomodo ap-* d
poſitam ſolutionem inveniet, & ea quæ pugnare in- p.310. d.
ter ſe videntur, prompte intelliget? Quomodo interrogaturis reſpondebit? Tum non pauca occurrere oſtendit, quæ cum inter ſe in ſpeciem pugnare videantur, noſtri eſſe officij ea conciliare, & objectiones ſolvere; qualia affert quæ in diverſis Scripturæ locis de Chriſti modo æternitate, modo vero ortu & nativitate temporali in ſpeciem pugnantia leguntur. Ait eos Dei Scripturam infidelium ludibrio exponere.
[e] Quibus cauſſis adductus de hac iſtorum ra- e
tione ac methodo ita præfatur in altero ex hiſ- Ibid. p.
ce duobus opuſculis; πολλῶν δὲ δεινῶν ὑπαρχόν- 327. 328.
των δογμάτων ἐπεισήγαγε τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων, &c. ὁ μισόκαλος δαίμων, οὐκ οἶδ᾽ εἴ τι τοιοῦτον ἐν τοῖς ἀνέκαθεν χρόνοις ὤδινεν, οἷον νῦν. [f] *Et ſi multa, & hor-* f
renda dogmata ſint, quæ in hominum genus ille o- Ibid. p.
mnis honeſti oſor diabolus invenit, ut periculoſis er- 315. a.
roribus aſſentientes involveret; tamen haud ſcio, an ſuperioribus temporibus hujuſmodi quid parturiverit, quale nunc parturit. Itaque hanc nobis ad Scripturas interpretandas regulam, inſanæ iſtorum methodo plane contrariam, totaque (quod ajunt) diametro oppoſitam tradit; οὐ
δεῖ γυμνὰ τῶν νοημάτων ἁρπάζειν τὰ ῥήματα· σκοπεῖν Ibid. p.
δὲ ἐπιμελῶς τὸ πρέπον θεῷ, τὸ συμφέρον ἡμῖν, τὸ δυνα- 310. c.
τὸν τῆς ἀληθείας. τὸ σύμφωνον τῷ νόμῳ, τὸ κατάλληλον τῇ φύσει, τὸ γνήσιον πίστεως, τὸ βέβαιον τῆς ἐλπίδος, τὸ ἀνεθόλον τῆς ἀγάπης, τὸ ἀνύβριστον τῆς δόξης.

Non sunt verba suo denudata sensu arripienda; sed considerandum diligenter, quid Deo conveniat, quid nobis conducat, quid ferat veritas, quid legi consentiat, quid naturæ respondeat, quid fidei proprietas, quid spei firmitas, quid caritatis sinceritas, quid nullis obnoxia injuriis gloria requirat. Cætera mitto. Essent enim omnia describenda; neque sane lectorem pœnitebit, si utrumque opusculum diligenter à capite ad calcem legerit. Est enim utrumque & brevissimum, & excellentissimum. Hanc Gregorii, atque Theodoreti mentem & sententiam accurate sequitur is Athanasius, quem Vigilius, vel potius Gelasius (quod diximus) Africanus adversus Arianos disputantem induxit. Adversarium n. eo cogit, ut fateatur multa ex Scripturis constitui, atque demonstrari posse, quæ in iis αὐτολεξεὶ non leguntur. Quam ad rem quasdam voces adducit, quas Ariani, etiamsi eæ nusquam in divinis libris legerentur, retinebant tamen, & in fide sua usurpabant; ut cum adversus Sabellianos *Patrem esse impassibilem*, contra Eunomianos *Filium esse Patris similem*, contra Photinum *Filium Deum ex Deo, lumen esse ex lumine* defendebant. *Pura* (inquit) *& nuda verborum proprietate hoc scriptum ostende, ingenitum aut impassibilem Patrem, Filium vero Deum ex Deo, lumen ex lumine, aut Patri similem esse. Nolo mihi dicas; Hoc fidei ratio poscit; hoc pietas docet; ad hanc me nominis professionem Scripturarum consequentia provocat. Nolo inquam, talia mihi obtrudas, quia & me similia de homoousii professione respuis proferentem. Sed forte sero*

Dial. Athan. cũ Sab. &c. inter opera Cassandri p 475. & it inter opera Athanasii.

in manibus Divinorum voluminum codices. Eodem sono, iisdem syllabis prædictorum vocabulorum nomina inditâ lege. Aut ostende scriptum, Filium Patri similem, aut fatere dissimilem. Quo hinc erumpas, quorsum evadas, non est. Tuis te objectionibus implicitum propositionis nexa enodandi facultas nulla suppeditat. Aut concede mihi ex consequentibus probare homoousium, id est unius substantiæ fidem; aut si concedere nolueris, neganda sunt tibi universa, quæ ipse fateris, quia ea nude posita invenire utique nunquam poteris. Tum eundem paulo post telis suis oppugnans, jubet locum Scripturæ aliquem proferre, in quo diserte, atque αὐτολεξεὶ, quod docebant Ariani, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti triusion legatur; *Nulla* (inquit) *prosunt argumenta hic* * *veritas ex consequenti ratione colligitur. Testimoniorum proprietas flagitatur. Lege specialiter triusion positum, & noli conjiciendo dicere, si tres sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, necessario tres sunt & substantiæ; quod & ego simili conjectura possum veracius opinari, si unum sunt Pater, & Filius, quia ipse dicit,* Ego & Pater unum sumus, *quomodo non est una substantia? Sed hanc disputationis viam ingredi noluisti penitus, dum à me specialiter positum homousion demonstrandum exigeres testimonium. Simili ergo & tu ratione tres usias specialiter & proprie positas lege.* Hanc istorum de probationibus, quibus sua utrique dogmata demonstraturi ac confirmaturi essent, controversiam probus diputationis judex utriusque consensu lectus, ita definit, ac decidit, *Quartum* (inquit) *vestræ*

Ibid. p. 476. infra med.

* legend. vide aut ubi

Ibid. p. 477. ant. med. *disputationis intentio monstrat nec tu homousion, nec iste triusion, proprie & specialiter positum valetis ostendere. Vnde ne puerili concertatione in superfluis rebus diutius immoremini, ab hac puri exactione documenti tandem uterque desinite, & consequenti ratione aut homousion, aut triusion de Scripturarum auctoritate colligite.* Et cum initio sequentis colloquii, quæ superiore conclusa essent, colligit, Ibid. med. *Vobis* (inquit) *invicem consensisse videmini, ut unius substantiæ, vel trium substantiarum professionem ex divinarum consequentia litterarum luculento disputationis examine comprobetis; omissa scilicet quæstione documentorum puri vocabuli, atque proprie positi.* Hæc illi hactenus. Obsecro tuam fidem; nonne hæc vera est, & ad vivum expressa hodiernarum quæ Methodicis Sophistis nobiscum sunt, disputationum imago? Nonne illi nunc à nobis, plane ut à Catholicis olim Ariani, *pura*, *nuda*que & *proprie posita* Scripturæ de iis, quæ inter nos controversa sunt, testimonia flagitant? Nonne ductas è Scripturis argumentationes, atque consequentias eadem cum Arianis importunitate repudiant? Nonne pari iniquitate exprobrant, ac clamitant istas esse *Syllogisticæ artis nescio quas versutias*, quibus ipsorum *objectiones conemur eludere?* Nonne pari stultitia, Ibid. p. 475. extr. atque improbitate nos urgent, ut ea, quæ profitemur, vel in Scripturis totidem verbis expressa legamus, vel è fide atque confessione nostra abjiciamus? Magna Domino Deo laus, & gratia; quod & veterum Catholicorum causæ nostra plane similis, & veterum hæreticorum

cavil-

cavillationis atque μεθοδείας plane germana ac gemina eſſe adverſariorum noſtrorum in his diſputationibus methodus deprehenditur. Nos vero de hac noſtra cum priſcis orthodoxis germanitate plurimum nobis in Domino gratulamur. Cum vero adverſarios teterrimorum ac perditiſſimorum hæreticorum viam, ac methodum ſequi non pudeat; nos certe ſanctiſſimorum, ac laudatiſſimorum Patrum veſtigiis inſiſtere non pigebit; eorumque exemplo noſtros iſtos ſophiſtas ex ſuis ipſorum placitis ita urgere. Vos à nobis ô boni, puri vocabuli atque proprie poſiti documenta flagitatis. Qualia ab aliis poſtulatis, talia vos aliis edere, æquum eſt. Agite ergo, & nobis ex divinis Scripturarum libris illa, quæ vos capitalia in religione cenſetis, iis ipſis verbis, quibus vos uti ſoletis, expreſſa, conceptaque recitate. Legite in iis, ſi poteſtis. Romæ veſtræ Epiſcopum totius Eccleſiæ ſponſum, totius terrarum orbis monarcham eſſe; nullam extra ejus communionem, gratiam, aut ſalutem haberi; omnia ab eo prolata judicia totidem eſſe oracula, certa & indubitatæ veritatis, velut ab eo viro profecta, qui extra omnis de fidei rebus erroris aleam procul ſit poſitus. Legite ab una iſtius manu accipiendas Dei Scripturas; non pluris apud nos, niſi ille de earum veritate ac divinitate teſtaretur, futuras, quam ſunt vel Æſopi fabulæ, vel Mahamedici Corani deliramenta. Edite aliquod ex cælestibus Dei literis teſtimonium, in quo diſerte, atque αὐτολεξεὶ ſcriptum ſit, vel eſſe quemdam in inferis gehennæ finiti-

 mum

mum locum, ubi ſanctificatæ ac expiatæ Chriſti ſanguine animæ igne acerbiſſimo crucientur; vel eſſe in terris aras, apud quas Chriſtus Ieſus quotidie ab homine mortali ad peccatorum noſtrorum propitiationem immoletur. Edite ex Scripturis vel unum locum, in quo legamus vel veſtram illam hoſtiam, ea religioſi cultus ſpecie, quam *latriam* appellare ſoletis, ab omnibus fidelibus eſſe adorandam; vel quas conſecratis hominum mortuorum imagines, eas religioſe venerandas, colendaſque, vel ſanctorum ſpiritus invocandos, ac pro Mediatoribus apud Deum noſtris habendos, ac cenſendos. Nolo mihi dicatis, Hæc poſſunt è Scripturarum conſequentia probari. Teſtimoniorum proprietas flagitatur. Vos hanc fixiſtis legem; ut Scripturæ nihil niſi nudæ voces, putaque & proprie poſita vocabula, in hac diſputatione valeant. Aut concedite mihi meã fidem ex conſequentibus probare; aut veſtram certe negare; quæ iis capitibus conſtat, quorum nullum, ut apparet, in divinis litteris legitur. Atque hanc quidem ex conſequentibus diſputandi rationem concedi, atque conſtitui veſtra multo magis refert, quam mea. Pauciora enim ſunt meæ, quam veſtræ fidei capita, & quidem plæraque hujuſmodi, ac tam diſerte in in Scripturis poſita, ut ad ea inde eruenda nihil argumentis, aut raciocinatione opus ſit. Satis eſt oculos afferre quibus divinos codices, legere queamus. Veſtra è contra dogmata, quæ quidem ſunt inter nos controverſa, adeo ſunt à Scripturæ & verbis, & ſenſibus aliena,

ut inde non dico colligi, ſed ne extundi quidem ullis vel procaciſſimæ, atque impudentiſſimæ Dialecτices artibus poſſint. Hoc vero loco non dubito, quin ut ex his anguſtiis, in quas vos methodi veſtræ inſania impegit, erumpatis, atque evadatis, Eccleſiæ veſtræ, ut ſoletis, vocem atque auctoritatem objecturi nobis ſitis. Sed præterquam quod id nihil aliud eſt, quam res dubias ac controverſas nobis ex ea probare ac perſuadere velle, de qua ipſa non minus quam de cæteris dubitamus; vos dum ſic agitis eorum, quos *patres veſtros* eſſe gloriamini, inſtitutum, ac rationem abjicitis, atque damnatis. Cur enim illi Eccleſiæ in hac diſputatione auctoritatem, ſiquem hac in cauſa locum habere debet, plane, penituſque omiſerunt? Cur eam, quod vos nunc facitis, tali loco ac tempore minime adhibuerunt? Vel ſi iniquum eſt hoc vos dilemmate convenire, ac urgere; *Aut concedite mihi ex conſequentibus probare meam fidem; aut vos veſtram niſi pura & nuda verborum proprietate ſcriptam eſſe oſtenderitis, negate*; ſi hoc inquam, contra vos nihil valet; cur illi eo ipſo contra Arianos uſi ſunt? Quicquid dixeritis, nunquam efficietis, quin mea hæc omnis adverſus vos cauſſa hoc ipſo jam olim præjudicata fuiſſe videatur, quod vos quidem Arianorum telis utimini, & eadem plane arte atque ratione, fidem nunc meam oppugnatis, qua illi tum Catholicam invadebant; ego vero ſanctiſſimorum Patrum armis, atque methodo nos, noſtraque defendo.

Cap. IX.

Quicquid ex Scripturis dilucide, ac necessario concluditur id verum, ac divinum, & velut aliquam ipsarum Scripturarum partem, censendum esse.

SEd ut misso hoc sane gravissimo veteris Ecclesiæ præjudicio, rem ipsam per se spectemus; quid obsecro, & vestra, & Arianorum, & Macedonianorum, & Eutychianorum pervicacia, vobis enim hæc omnis causa cum illis pestibus communis est) stultius, atque iniquius fingi potest, qui cum Scripturas verâs ac divinas esse conceditis, ea tamen quæ ex Scripturis concluduntur, vera ac divina esse negatis? Cum enim apud omnes constet ex veris nihil unquam sequi, quod ipsum quoque verum non sit; quæ major, ac turpior esse potest contradictio, quam hæc, qua vos ipsos ultro, caussæ studio cæci atque amentes, induitis, & involvitis, dum & Scripturam veram esse confitemini, & simul ac semel de iis, quæ ex Scripturis conclusa sequuntur, an vera sint dubitandum putatis? Profecto vel in Scripturam, vel in veritatem contumeliosi estis: Vos enim qui sic agitis, necesse est, vel illam aliquid falsi continere, suspicari, vel hanc certe putare mendacium emittere, ac veluti monstrum parere posse. Quod ex Scripturis divinis concluditur, id in iis ipsis vel inerat, vel non inerat? Si hoc dixeris; qui fieri potuit, ut quod

in Scripturis non inerat, id ex iis eliceretur, cum constet nihil ex ulla re vel sponte fluere & manare vel arte educi, atque erui, nisi quod ea inclusum continebatur, ex vulgari Metaphysicorum sententia nihil quemquam dare nisi quod habuit? Item si non insunt Scripturis quæ ex iis concluduntur, cur veteres Scripturas Christus affirmavit *testimonium de se perhibere?* Cur Lucas multa *de Christo in omnibus Scripturis fuisse* ait, eaque ipsum *à Moyse incipientem, & omnibus Prophetis, interpretatum esse?* Cur testificatur Paulus *se nihil extra dixisse, quam ea quæ Prophetæ & Moyses locuti erant futura esse?* Denique cur idem Paulus Corinthiis confirmat. *Christum mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas? & sepultum & tertia die resuscitatum secundum Scripturas?* cum certum sit & apud omnes confessum ista nusquam in Scripturis veteris Testamenti totidem verbis ita proprie expressa legi, sed ex iis duntaxat argumentando, ac ratiocinando concludi? Quod si in Scripturis vere insunt, quæ ex iis concluduntur; quæ vobis tandem religio est hæc, quæ inde concluduntur, admittere, ac veluti vera venerari, qui mecum profitemini nihil penitus cœlestibus istis Scripturis inesse, quod non sit idem verum, & sanctum & divinum? Quæ ratiocinando colliguntur, ea fateor, in iis principiis, ex quibus concluduntur, non insunt *formaliter*, insunt tamen *virtute*, ac *potentia*; ut vulgo in scholis loquuntur. Itaque qui principium aliquod ponit, is simul quæcunque inde colligi ac concludi

Ioh. 5. 39.

Luc. 24. 27.

Actor. 26 22.

1. Corint 15. 34.

cludi

cludi poſſunt, eadem quoque opera ponit. Vt qui dicit *nos quatuor habere Evangelia*, is hoc ipſo *duo*, *& duo nos habere ſtatuit*; quod hi numeri eo, quem ipſe poſuit, apertiſſime contineantur; Vt Scriptura dum ait *Chriſtum eſſe hominem*, ſimul ait *eum anima & corpore eſſe praditum*; quod his duabus partibus omnis hominũ natura conſtet. Fateor non raro accidere, ut homo ea ponat ac conſtituat, ex quibus multa, quæ ipſe nolit concedere, ſequuntur tamẽ. Sed id ex humanæ mentis infirmitate accidit, quæ quid ex unaquaque re legitime ſequatur non ſemper videt. Deus vero cujus eſt immenſa ſapientia, nullam rem ponit, ex qua quidquid ſequitur, id non plane, penituſque perſpectum habeat: ut non ſit verendum, ne is aliquando, veluti non ſuum inficietur, ſiquid ex ejus verbo legitime concludi poſſit. Cum igitur neceſſario vera ſint, ac divina quæcumque ex Scripturis valide, ac legitime colliguntur; apparet ejus dogmatis veritatem ac divinitatem abunde probari, quod ex iis, quæ in ſacris Scripturis poſita ſunt & expreſſa, ſequi demonſtratur; neque id præterea requiri (quod olim Ariani flagitabant, nunc eorum hac in parte diſcipuli à nobis exigunt Methodici) ut ipſum dogma αὐτολεξεὶ in divinis libris legatur. Atque hanc fuiſſe liquet Chriſtianorũ Theologorum jam inde à vetuſtiſſimis temporibus ad nos uſque ſententiam; non modo ex iis, quæ ipſi paſſim ex Scripturis ratiocinantes in omnibus ſuis operibus diſputant, ſed etiam ex diſertis quæ ea de re ediderunt, teſtimo-

niis. Clemens Alexandrinus in opere, anno D. 196. edidit, quo loco demonstrationem *supremam* describit, eamque humanæ & quæ ex opinione est, demonstrationi anteponit, ait *illam mentibus fidem ut sic dicam, scientificã inserere per appositionem & apertionem Scripturarum. Si enim* (inquit) *quæ assumuntur ad id, quod quæritur, vera sumuntur, ut divina & prophetica; clarum est utique quod quæ etiam eis subinfertur conclusio, vera inferetur, & recte nobis demonstratio fuerit cognitio.* ἡ γὰρ ἀνωτάτω ἀπόδειξις, ἐπιστημονικὴν πίστιν ἐντίθησι διὰ τῆς τῶν γραφῶν παραθέσεώς τε καὶ διανοίξεως ταῖς τῶν μανθάνειν ὀρεγομένων ψυχαῖς ἥτις ἂν εἴη γνῶσις. εἰ γὰρ τὰ παραλαμβανόμενα πρὸς τὸ ζητούμενον ἀληθῆ λαμβάνεται, ὡς ἂν θεῖα ὄντα καὶ προφητικά. δῆλόν που ὡς, καὶ τὸ συμπέρασμα τὸ ἐπιφερόμενον αὐτοῖς ἀκολούθως, ἀληθὲς αὐτοῖς ἐπενεχθήσεται. καὶ εἴη ἂν ὀρθῶς ἡμῖν ἀπόδειξις ἡ γνῶσις. Origenes, Clementis discipulus, in caput Matthæi 22. Christi disputationem adversus Sadducæos enarrans, id quod à Domino ex Scripturis asseritur, *scriptum* esse affirmat, tametsi id in illis litteris diserte totidemque verbis non legatur; *Nos* (inquit) *dicimus, quia scriptum est, non tamen in ipsis sermonibus manifeste ista dicentibus, sed in mysterio indicantibus secundum intellectum moralem.* Qualiter supra affirmabat Gregorius Nazianzenus quædam *in Scripturis esse, quæ tamen in iis non leguntur.* Itaque idem ille Origenes alibi eum jubet, qui veritatum divinarum unum quoddam corpus efficere vult, eum *excerpere affirmationes*, non modo *quas in sanctis Scripturis invenerit*, sed etiam

Clem. Alexan. Strom. l. 2. p. 381. D.

Origen. tract. 22 in Matt. p. 109.

iam *quas ex consequentiæ ipsius indagine, ac recti tenore repererit.* Nimirum utrasque ille existimabat divinæ doctrinæ partes esse, unaque & eadem fide suscipiendas. Quo & illud Augustini pertinet, quod nos jam supra exhibuimus scribentis, se in libris de civitate Dei suis *ea secundum Scripturas sacras dixisse vel quæ in eis legerat, vel quæ ex eis intelligere potuerat.* Cætera ejusdem generis, quæ jam supra ex Gregorio Theologo, ex Chrysostomo, ex Theodoreto, Gelasio Afro, & Maximo descripta sunt, prudens mitto. Post hos nono sæculo jam affecto Remigius, totaque cujus ipse erat Episcopus Lugdunensis Ecclesia, in libro de tribus epistolis clarissime eadem docent, dum hanc regulam ad eruendam è Scripturis veritatem constituunt, *vt in divinis Scripturis nequaquam hoc pueriliter quæratur, vel exigatur, ut ibi solummodo intelligatur divina præscientia & prædestinatio, ubi hæc ipsa nomina præscientiæ atque prædestinationis expresse & proprie posita inveniuntur, &c. Sed ubicumque res ipsa ejusdem præscientiæ & prædestinationis certissime posita legitur, præscientiam & prædestinationem ipsam intelligendam esse minime dubitemus.* Regulam inde firmant, quod Paulus ex veteris Scripturæ testimoniis præscientiam & prædestinationem commendat ac docet, in quibus neutrius nomen legitur; Quibus expositis ita concludunt. *Caveamus itaque, ut B. Hieronymus, quodam loco admonet, in Scripturis superstitiosam intelligentiam; & hanc Apostolicam auctoritatem qua non nomina, sed res ipsas divinæ præscientiæ &*

Aug. de Civit. D. lib. 15. c. 1.

Ecclef. Lugd. li. de tribus epist. c. 5. Reg. 6. Tom. 1. Mauguini p. 77.

Rom. 9. 11. 17. & 11. 12.

Ecclef. Lugd. ibid. p. 87.

prædestinationis suo exemplo nobis quærendas, & tenendas docuit, quantum possumus firmissime, & fidelissime, tam in Evangelicis, & Apostolicis, quam etiam in Propheticis dictis sequamur. Similia iterum infra in eodem volumine his verbis habentur; *In divinis Scripturis non est exigendum, ut ubicumque res prædestinationis dicitur, etiam ipsum nomen prædestinationis proprie & expresse positum legatur; sed ubicumque res ipsa certissime posita invenitur, regulariter observandum, quod etiam tacito prædestinationis nomine rectissime prædestinatio intelligatur.* Atque hæc quidem Remigius. Eadem sequitur & inculcat Florus Magister, vir ejusdem sæculi, ejusdemque Ecclesiæ Lugdunensis in eodem argumento versans; *Ne* (inquit) *tam absurdi, vel contentiosi simus, ut ubi ipsa res, id est prædestinationis veritas apparet, ideo negemus pro prædestinatione dictum, quia nequaquam ibi prædestinationis nomen positum inveniatur; sed sive sonet ibi expresse prædestinatio, sive ipsius prædestinationis veritas certissime clarescat, una & pari fide suscipiatur.* Tum ostendit ex uno diserte posito sæpe aliud tametsi non dictum intelligi; ut in Symbolo quod vitam æternam credere nos profitemur, è contrario similiter intelligi mortis quoque æternæ credulitatem, sive fidem. Paria quoque alibi infra habet, non *multum esse in Scripturis laborandum de verbo prædestinationis, cum omnino ipsa veritas rerum ad divinam prædestinationem pertinentium tam clare & multipliciter ibi proponatur, ut vix ea omnia invenire, vel capere sufficiat humana fragilitas.* Quod autem hi scriptores

Ibid. c. 46. extr. p 145.

Flor. ad vers. Scot c. 1. T. 1. Mauguini p. 547

Ibid. p. 648.

Ibid. p. 650. 654

ptores de prædeſtinatione in ſpecie dicunt, non eſt dubitandum, quin id de cæteris quoque Chriſtianæ fidei capitibus dictum velint, quorum eadem eſt ſcilicet hac in parte ratio; nimirum cum alicujus dogmatis res ipſa in Scripturis tradita eſt, abſurdum eſſe & puerile de rei vocabulo, quod in iis non legatur, contendere ac rixari; quod olim Arianus de *homouſio* Macedonianos de Spiritus *Deitate*, Eutychianos & Monotheletas de proprio *duarum voluntatum* nomine feciſſe; Methodiſtas hodie de multis fidei noſtræ capitibus facere videmus. Sed & ſex poſt Remigium ſæculis ſtabat adhuc eadem veritas apud Latinos. Eo enim tempore paulo poſt Concilium Florentinum, Scholarius, homo gente quidem Græcus, ſed ſtudio Latinus in eo opere, quod adverſus Græcos, ſuos de Spiritus S. proceſſione conſcripſit, hoc tanquã totius diſputationis principium ſumit: καὶ πρῶτα μὲν (inquit) μὴ πάντα βούλεσθαι διαῤῥήδην λαμβάνειν ἐκ τῆς γραφῆς τούτῳ γὰρ καὶ πολλοὺς τῶν αἱρετικῶν ἴσμεν χρησαμένους τῷ προκαλύμματι. ἀλλ᾽ ἄν τι τοῖς οὕτω λεγομένοις ἀκόλουθον ᾖ, καὶ τοῦτο τῆς ἴσης τιμῆς ἀξιοῦν. *Primo quidem non decet velle omnia diſertis verbis è ſcriptura deſumere (nam & multos hæreticos ſcimus prætextu hoc uſos) ſed ſiquid verbis prolatis ſit conſequens adæque erit honorandum. Similiter vero quod viſis & confeſſis viſum fuerit repugnans, & contrarium, nullo modo erit admittendum.* Idem ſentit & Cardinalis Bellarminus, cujus vnius multo, quam univerſorum Methodicorum, in partibus Romanis majus eſt & nomen & meritum, *Quod è Scriptu-*

Orat. Henot. in 3. part Act. Syn. Flor. p. 921. a. b edit par. concil. T. 8.

Scriptura (inquit) *evidenter deducitur, est evidenter verum suppositis Scripturis.* Melchior Canus, Canariensis Episcopus, Vega, Gabriel Vasques, Alphonsus Salmero, omnes celeberrimi apud adversarios Scriptores, istis quoque succinunt. Salmeronis verba exempli caussa apponam; *Non tantum,* (inquit) *auctoritatem divinam habent, & fide ea tenenda sunt, quæ in Scripturis expresse continentur, sed etiam omnia illa, quæ ex illis necessaria & evidenti consequentia deducuntur.* Ergo conclusum tandem esto ad probandam fidei nostræ veritatem satis esse, si ea quibus continetur, capita vel in Scripturis legãtur, vel ex Scripturis demonstratione concludantur.

lib. 4. de Eccles. c. 5. & l 3. de justif. cap 8. Can loc. Theol. l. 6. c. 8. Vega de Iustific. l. 9. c. 39. Vasqu. in 1. Thom. T. disp. 5. c. 3. & disput. 12. art. 8. c. 2. Salm. T. 1. Proleg. 9. can. 7.

CAP. X.

Nova adversariorum methodo omnis humanæ cognitionis certitudinem tolli; religionem, scientias ac disciplinas, humanas denique res omnes cæca & inexplicabili quadam confusione involvi, immergi, & obrui.

VErum instant hoc loco novæ methodi parentes, & rogant, qua ratione tuto, ac certo sciemus, validas ac legitimas esse rerum, quas ex Scripturis concludimus, consecutiones? Rationem enim sæpe falli, multaque ex quibusdam principiis inferre ac deducere, quæ tamen vere ex iis minime sequuntur. Arius & Eutyches, qui discrẽta, proprieque posita Scri-

pturæ teſtimonia à Catholicis flagitabant, ſuas ipſi hæreſes ex variis Scripturæ locis colligere ſe ac côncludere gloriabantur, in quibus eę nullæ re vera inerant. Neſtorius, & Pelagius, & ante hos omnes Origenes eodem modo decepti in varios, eoſque graviſſimos errores inciderunt; raraque, ac propemodum nulla fuit hæreſis, quam non auctores falſis hujuſmodi, atque Sophiſticis ratiocinationibus probare, ac conſtituere conati ſint. Cum ergo ipſa, qua argumentamur, ratio fallax ſit; quî certo ſtatuere nobis licebit vera eſſe ea, quæ illius adminiculo in Scripturis à nobis deprehenſa eſſe putamus? Quæ enim interdum fallitur, quid ni & in his ipſis falli, ac decipi potuerit? Ego vero hæc ab homine atheo ſic objici non mirarer; cujus impietas ſe tueri, aliquoque loco conſiſtere non aliter poteſt, quam ſi omnis humanæ mentis lux, atque cognitio cæca quadam, infinitaque, & inexplicabili incertitudine, velut tetra aliqua, denſaque & inexſuperabili caligine, merſa penitus obruatur. Hæc vero eos afferre, qui Chriſtianam religionem profitentur, non poſſum non indignari; hæc quibus omnis omnino humanæ cognitionis certitudo convellitur, ac tollitur, eos ipſos quibus præ cæteris mortalibus humana non modo fides, ſed etiam credulitas maxime opus eſt, objectare atque oſtendere non poſſum non admirari, neque aliunde id profectum putare, quam à ſumma animi vel ſtultitia, vel certe perturbatione, ex nimio cauſæ ſtudio, ut ſolet, orta. Obſecro enim animadvertite

quo

quo tandem exitura ſit omnis hæc iſtorum objectio; Ratio (inquiunt) res eſt fallax, decipi, fallique & fallere facilis. Ergo quæ ratio ex Scripturis concludit, de iis certi eſſe non poſſumus, neque tuto ac firmiter ſtatuere quod vera ſint. Hæc illi; quæ ſi valent, vimque eam, quam cupiunt, habent; clarum eſt actum eſſe de omni cujuſcumque noſtræ cognitionis certitudine: clarum eſt nihil in ullis rebus reliquum fore, quod certo retineri, proque vero & indubitato haberi poſſit. Primo quid fietde famoſa illa fidei Catholicæ certitudine, quam iſti ſemper in ore habent? Illa vero, ſi hæc ſtant, quæ ipſi nunc ponunt, non jam fides, ſed mera temeritas erit. Res enim fidei, velint iſti an nolint, mente excipiuntur, mente expenduntur, atque dijudicantur, nobiſque, per eas veritatis rationes, quas mente in iis cernimus atque deprehendimus, tandem perſuadentur. Si quod mens interdum fallitur, eo fit, ut omnis ejus comprehenſio, atque operatio incerta, dubiaque cenſenda ſit; hæc profecto, qua res fidei admittit, neceſſario quoque & ipſa incerta ac dubia erit. Vobis quidem ni fallor, Romanam vere Chriſti Eccleſiam eſſe perſuadet & populorum conſenſus & epiſcopalium ſucceſſionum antiquiſſima, & à primis temporibus ducta, neque uſquam interrupta ſeries, & potentiæ atque majeſtatis cujuſdam ſplendor; adhæc multiplex miniſteriorum ordo, decor, ac pompa, divinæque providentiæ lux perpetuo rebus veſtris affulgens, ac invigilans, & ſi qua alia ſunt ejuſdem

generis. Sed qui tandem inquam, hæc ita apud vos certo ſtatuere, eaque penitus, ac ſine ulla dubitatione in pectus admittere poteſtis; qui rationem, quæ iſta vobis omnia renuntiavit, falli interdum & fallere non neſcitis? Quæ in aliis fallitur, quidni & in his quoque falli poſſit? Si vero de hoc capite, unde omnis Romana fides pendet, leuis tantum eſt, dubiaque & fluctuans opinatio; quid de cæteris certi haberi poteſt? Sed non modo Romanam fidem, verum etiam omnes ſcientias,, ac diſciplinas evertit hæc iſtorum Sophiſtice. Nam cum ex hujus hypotheſi, rationi, quod ea interdum peccet, nulla certa haberi debeat fides; nobis deinceps dubitandum erit, num illa vera, certaque ſint, quæ decernunt Geometræ, & *lineam rectam in aliam rectam ad perpendiculum incidentem duos angúlos rectos efficere, & quadratum à latere rectanguli triànguli rectum angulum ſubtendente deſcriptum æquale eſſe duobus quadratis à reliquis ejuſdem trianguli lateribus deſcriptis*: ambigendum pariter erit de iis, quæ definiunt Phyſici ac Medici, omne corpus verbi gratia *ex materia & forma eſſe compoſitum, vel jecur eſſe venarum principium, vel ſena melancholiam excerni, ac purgari*; in cæteris denique omnibus hærendum, ac fluctuandum erit quæ vel Mathematici, vel reliquæ philoſophiæ aut medicinæ, & aliarum omnium artium ac diſciplinarum profeſſores ſe clariſſime demonſtrare putāt, quod hæc una ratio, fallax illa ſc. hominū magiſtra, doceat. Ne illa quidé tenebimus, quæ certiſſima atq; exploratiſſima habétur, *totū ſua*

parte

parte majus esse, & si de aequalibus aequalia demantur, quae supererunt, ea inter se aequalia quoque futura. Quid enim? (inquient novi isti Sceptici) Tibi ne constat hic non falli rationem, quæ in tam multis aliis falli ac peccare solet? Sed neque in his consistit sophismatis pernicies. Id vero si bene rem putes, non ea modo quæ mente cognoscimus, sed etiam illa, quæ ipsis sensibus percipimus, concutit, ac labefactat omnia. Nam si nullam fidem, nullumque certum ac indubitatum assensum ea facultas meretur, quam falli & peccare interdum contingit; sensibus profecto omnis neganda est fides, qui ea, quæ nobis in rebus objiciuntur, aliter quam se habent, interdum renuntiant, hoc est fallunt. Notum est oculos & turrim, quæ quadrata est, rotundam, & remum, qui rectus & integer est, fractum, aliquando renuntiare, & Solem ac Lunam, & sidera multo quam revera sunt, minora nobis referre. Gustus, tactusque, tametsi quam cæterorum sensuum, accuratior, ac certior fides, nonnunquam tamen & ipsa nutat. Si ergo sibi constant Methodici Sophistæ, ne de iis quidem quicquam certi aut explorati habebunt, quæ sensuum ministerio discimus; Num uere sit vel nix candida, vel pix atra, serio dubitabunt, neque plane, penitusque credent vel ignem esse calidum, vel glaciem frigidam; cautique homines deliberandum censebunt an mel dulce sit, an amarum absinthium, assensumque prudenter sustinentes, ac inhibentes cavebunt, ne omnino quicquam

affirment; ſibique merito metuendum putabunt, ne forte & lux Solis, & cœli rotunditas, & ventorum, atque aurarum motus, & fluminum curſus, & maris æſtus, & ipſi hominum, etiam vicinorum & familiarium, vultus, totidem ſint præſtigiæ, & inanes rerum ſpecies, vanaque mortalibus ad illudendas eorum mentes objecta ſimulacra. Iam ſublata ſemel hac rationis & ſenſuum certitudine, in fumos abire neceſſe eſt omnes veræ virtutis, ac pietatis actiones; quæ niſi ſcilicet à certa cognitione, firmaque & immota animi perſuaſione proficiſcantur, ne ipſum quidem virtutis ac ſapientiæ nomen retinere ac tueri poſſunt. Quid belli, paciſque artes dicam? quid officia, quibus ſtat hominum ſocietas? quid denique ipſam hominum vitam loquar? Omnia fluctuare, ac labaſcere & concidere denique, ſi placent iſta, neceſſe eſt. Vt enim in natura moveri corpora non poſſunt, niſi aliquid ſtet firmum & immotum, in quo eorum explicetur motus; ita neque animi noſtri ſe unquam molientur, aut ad agendum ciebunt, aut quidquam, quod operæ pretium ſit, efficient, niſi certum, ac fixum aliquid, quo nitantur, habeant. Fides ac perſuaſio eorum (ut ſic dicam) cardo eſt, in quo ſe circum agunt ac movent, ſine quo, inertes, languentesque torpebunt. Ad hanc tantam hujus ſophiſtices in homines injuriam, accedit, ejuſdem inſignis in Deum ipſum opt. max. contumelia; cujus

c.17. l. de An. (quod elegantiſſime veriſſimeque ſcripſit Tertullianus) *providentiam excæcat* infœlix iſtorum

istorum deliramentum, dum eum fingunt *cunctis suis operibus intelligendis, dispensandis, fruendisque fallaces mendacesque, dominos præfecisse*; sensus scilicet & mentem: Itaque nunquam hactenus vel in Christianæ vel in alterius religionis schola, ubi quidem & Dei gloria, & hominum salus non plane negligeretur, hanc obtinuisse Sophisticen auditum est. Sola eam apud Ethnicos nova, quæ dicebatur, Academia excluserat, & foverat; mali corvi malum ovum. Specta quæso quanta fuerit nostrorum Methodicorum desperatio, quæ eos idolum Paganicum, jampridem & exstinctum, & sepultum, è tenebris in lucem revocare, & in vitam suis artibus postliminio resuscitare ad suorum errorum præsidium coëgerit. Illi ut mihi ex Scripturis constituendæ, ac demonstrandæ meæ religionis justissimam libertatem eripiant, suam ipsi primo fidem evertunt, omne deinde scientiarum lumen extinguunt, sensus perimunt, hominum genus æternis quibusdam tenebris immergunt, Deum ipsum postremo, cunctorum parentem ac Dominum, gravi contumelia afficiunt. Quæ ista est tam cæca, tamque præceps animorum perturbatio, quæ miseros Sophistas sic vexat, atque dementat, vt adversariorum incommodum suo exitio redimendum putent, & (quod olim fecisse dicicitur Gobryas) malint una cum hoste perire, quam eo *incolumi* superesse, ac evadere?

CAP. XI

Quod interdum peccet ratio, nequaquam ex eo consequens esse, ut dubiæ atque incertæ censendæ sint omnes ratio is vel cogitationes, vel dissertationes, & argumentationes.

NOs vero missum ab istis impetu, quam consilio majore telum facile, ac nullo propemodum negotio depellemus. Quid enim est hac illorum objectione futilius? Ratio (inquiunt) interdum peccat. Esto. Quid tum postea? Ergo (inquiunt) nulla esse potest certa & indubitata de iis fides, quæ ex Scipturis ratione concluduntur. Quidni? Et quænam est obsecro hujus consecutionis necessitas? Qui à scopo aliquando aberrat, eum ne semper aberrare necesse est? neque ulla ratio est, quâ certo cognoscamus, an aberraverit, nec ne? Interdum (quod nuper diximus) fallit oculus, & res objectas alia vel magnitudine, vel figura exhibet, quam qua vere sunt. Ideo-ne incertum, & infidum esse dixeris omnem videndi sensum? Ideo-ne stultitiæ, vel temeritatis eum damnes, qui suis oculis credere non dubitet nivem esse candidam, vel Solem meridie lucere, vel Smaragdum viridem, vel atramentum nigrum esse? Peccat & tactus nonnunquam; & quæ una chorda est, duas esse affirmat. Ideo-ne omnem huic sensui fidem negabis? Ideo-ne quæ renuntiat, omnia

nullo diſcrimine explodes? ac ne tum quidem ei aſſentiri audebis, cum ignem eſſe calidum, nîvem fr g dam, aquam humidam, pumicem aridum aſſeverabit? Febricitantis palato etiam dulciſſima amara ſunt. An idcirco ſic ſuſpectus erit omnis guſtandi ſenſus, ut nobis perſuadere non poſſit, vel dulce eſſe ſaccarum, vel abſinthium amarum? Hæc vero portenta in cujuſquam ſani hominis mentem non cadunt; & ſi quis de iſtis vel leviſſime dubitandum putaverit, nemo erit, qui hominem velut delirum, aut ſplendide furentem non ad medicos potius cenſeat amandandum, quam ad philoſophos; quique acri hellebori potione, quam longa & acuta diſputatione digniorem non judicet. Iam ſi quæ ſenſus interdum peccant) minime prohibent, quo minus iis magnam, certamque fidem in longe plurimis habeamus; quo jure licebit ex iis, quæ aliquando peccat ratio concludere nullum ei de Scripturis argumentanti aſſenſum præberi unquam poſſe, vel debere? Origenes (inquis) & Arius, Pelagius & Neſtorius, aliique plurimi putarunt ſe in Scripturis multa videre, quæ in iis nulla ſunt. Poſſem hoc loco ſi libêret, veriſſime reſpondere iſtos in errorem incidiſſe, quod Scripturas deſeruerint potius, quam quod ex iis male ratiocinati ſint; iiſque aſſumpta ex ſæculi philoſophis principia multo magis nocuiſſe, quam deducta ex divinis libris enthymemata. Sed eſto tamen. Donemus iſtos ideo erraſſe, quod quæ non ſunt in Scripturis, ea in iis ineſſe falſo ſibi perſuaſerint.

De Orig. vide Theoph. Alexand. auch 1. p. 56 a. b, & 58 6. & 102. d. Paſ. li. 3. p 109. & 110. b. in Bibl Patres T. 3.

De hæreticis in genere. Chrys. hom. 87. in Matth p. 729, d. & hom. 59 [Lat. 58.] in Ioan. p. 298 Hieron. l. 2. in Ose p. 119 b & l. 2. in Mich. p. 378. f & in Agg. p. 506. f. Gregor. Rom. l. 18. c. 14. In Iob.

An quod ii erraverunt, atque delirarunt, id veritati fraudi esse debet? An quod isti se in Scripturis ea videre falso putarunt, quæ in iis minime erant, ego in iis, quæ vere insunt, perspexisse me ac deprehendisse certo statuere, confidereque non potero? Multi de rebus mathematicis perperam sunt ratiocinati, eaque ex harum disciplinarum principiis concluserunt, quæ iis non continentur. Mihi-nè idcirco non licebit huic consecutioni velut verissimæ, ac certissimæ assentiri: *Totum sua parte majus est: Ergo triangulum basi, hominis corpus digito majus est*? Atqui nemo tam bardus est, qui hanc demonstrationem non statim agnoscat esse verissimam; quantumvis falsi fallacesque fuerint Brisonis & aliorum de mathematicis paralogismi. Ita in Physicis, in Astronomicis. in Medicina non pauci hallucinati sunt, & ex harum artium principiis ea concluserunt, quæ iis re vera non sunt consentanea. Insanire tamen & furere merito judicabitur, siquis ideo nobis persuadere voluerit nefas esse quicquam eorum pro vero certoque habere, quæ in illis disciplinis demonstrantur, ac ne ei quidem tuto nos assentiri posse, qui vel equum animal esse ex eo, quod visu, audituque, & currendi facultate præditus est, concluserit; vel lapidem, quod omni sensu caret, animal esse negaverit. Iam de Scripturis, plane eodem modo res habet. Multi inventi sunt, qui ex harum libris ea concluderent, quæ illæ nusquam re vera docent; quo in genere nulli largius peccasse, licentiusve

grassati

grassati esse reperiuntur, quam Romanæ communionis homines; qui in duobus illis luminaribus, quæ Deus apud Scripturas in cœlo collocasse legitur, sui Papæ maximam supra Cæsarem eminentiam, atque dignitatem reperisse se jactarunt, quique ejusdem tum Spiritualem monarchiam nescio quam in iis, quæ Scriptura de Petri fide, singularibusque dotibus narrat, tum potestatem in Reges, ac Principes animadvertendi in iis animalibus, quæ eadem testatur Petro cœlitus in visione oblata, deprehendisse se gloriantur. Ejusdem est Dialecticæ, quod isti & suum purgatorium ex illis Scripturæ verbis, *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem*, & Missæ sacrificium ex his, *Hoc facite*, & panis sacri transsubstantiationem ex istis, *Hoc est corpus meum*, concludere non dubitant. Sed quod vitiosæ sunt, planeque improbabiles istorum consecutiones, atque argumentationes, multoque delirationibus quam demonstrationibus similiores, ideone nefas erit me ex eo quod Scriptura *Christum hominem esse* tradit certo concludere *Christo animam esse & corpus*? eundemque verum & æternum Israëlis Deum esse inde affirmare ac credere, quod ipsum Scriptura & terram initio fundasse, & cœlos creavisse, & in deserto ab Israëlitis tentatum fuisse testatur? Profecto neque ratio, neque sensus unquam peccant, quin fuerit aliqua peccandi ratio. Harum enim facultatum recta, per se, & sana est, & suorum officiorum capax natura. Sed quo minus iis accurate persungantur prohibent interdum

Matth. 5. 26. 1 Corin. 11. 24. Matth. 26. 26.

dum naturalemque ac legitimum (ut ſic dicam) rerum curſum avertunt, quæ ex diverſo occurrunt & accidunt ſingulares quædam cauſæ. Nam ſenſuum quidem peccata & hallucinationes quis neſcit vel ex organi quo fiunt eorum operationes, vitio, vel ex earum rerum, quæ percipiendæ objiciuntur, incommoda & inepta collocatione, vel ex rei, quæ media interjicitur, affectione atque natura oriri? Verbi gratia, quod ægrotanti quæcumque guſtat, amara, & arquato, quæcumque intuetur, lutea videntur, id efficit, non ipſorum ſenſuum vitium, ſed bilis, tam hujus oculis, quam illius palato ſuffuſa, quæ cuncta ſcilicet ſuo & ſapore inficit, & colore tingit. Quod vero Sol multo, quam eſt, minor apparet, quod quæ quadrata turris eſt, ea rotunda cernitur, quod longiſſimæ porticûs extrema latera coire videntur; id ex nimia rerum illarum diſtantia fit, quæ ſi propius ad legitimum ſenſus modum abeſſent, omnia recte, & vere perciperentur, quorum nunc intervalli longinquitas magnam partem quodammodo obterit, ac conſumit, antequam ad nos pervenire potuerint. Denique quod remus in aqua inflexus, fractuſque cernitur, qui re vera rectus eſt, id medij illius ſpacij, per quod ejus ſpecies ad oculos deferuntur, diverſitati imputandum eſt, quod ſi unum ſimplexque eſſet, aer ſcilicet, remus ut eſt, ſic quoque cerneretur rectus. His aliiſque ejuſdem generis exceptis cauſis, ſenſus nunquam officio ſuo deſunt. Cum ergo ea, quæ huc pertinent, omnia obſervare,

perſpe-

perſpectaque & explorata habere, adeoque ſtatuere, ac tenere an ſenſuum functiones rectæ, & idoneæ, ſuiſque legitimis conditionibus præditæ ſint, facillimum ſit, ac nullius propemodum laboris, intolerabilis eſt eorum ſtupor, qui nullam eſſe certam ac tutam ſenſuum fidem eo concludunt, quod accidit interdum, ut ii fallant, quoties ſcilicet aliquid eorum deeſt, quæ ad rectam ac legitimam facultatis functionem requiruntur. Iam & de ratione ipſa eodem quoque modo ſtatuendum eſt. Si quid peccat, id eſt ſiquid perperam concludit, id profecto idcirco accidit, quod aliquid vel ut verum aſſumpſit, quod verũ non erat, velut clarum ac liquidum poſuit, quod obſcurum & dubium erat. Vt cum adverſarij ex iis, quæ Chriſtus, Petro dixit, *Tu es Petrus*, &c. concludunt Romæ epiſcopum totius Chriſtianorum Eccleſiæ monarcham eſſe; peccant, quod ea velut apud Scripturas certa, ac indubitata ſumunt, quæ ne probabilia quidem ſnnt, nempe & Chriſtum his verbis Petro ſuæ Eccleſiæ monarchiam polliceri, & Petri hoc in munere hæredem, ac ſucceſſorem eſſe Papam urbis. Si vero hoc utrumque, quod ſumunt, verum certumque eſſet; profecto quod hinc concludunt, ipſum quoque pariter verum, ac certum eſſet, neque id quiſquam, cui ſanum ſit caput, negaverit. Atque hic eorum, quæ concluduntur, cum iis ex quibus concluduntur, firmus, ac neceſſarius, omninoque indivulſus nexus, non mentis, aut ratiocinationis humanæ, ſed divinæ voluntatis, atque

inſtitu-

de Doct. Christ. l. 2. c. 32. institutionis opus est, ut est sapientissime ab Augustino observatum, *Ipsa* (inquit) *veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit, & locorum situs, & naturas animalium, vel stirpium, vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas, & ille qui demonstrat sidera, eorumque motus, non à se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, cum falsum est, quod consequitur, necesse est, ut falsum sit, quod praecedit, verissime dicit, neque ipse facit, ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat.* Itaque idem alibi affirmat *neminem disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit nolit, efficitur.* Atqui nemo est suae mentis compos, qui si ad rem, ut par est, attenderit, non facile agnoscat ac deprehendat, an ea ex quibus aliquid concluditur, in Scripturis vere insint, necne. Ipsa vero rerum consecutio ita clara, atque ita necessaria est, ut à nemine negari, vel in dubium revocari possit. Verbi gratia cum omnis homo anima, & corpore constet, si Iesum Christum hominem esse concesseris, nulla vi, nulla arte eluctari, aut declinare poteris, quin & eum anima & corpore constare concedas; ut si *Christum hominem esse*, in Scripturis legi deprehenderis (quod an in Scripturis legatur, nullius negotij est agnoscere) hanc quoque conclusionem quod *Christus* scilicet *anima*

Contra Cresc. l. 1. c. 20.

& corpo-

& corpore constet, necessario tibi fatendum sit in Scripturis haberi; neque id negare vel in dubium reuocare possis, quin & rationem, & sensum ipsum ejeres. Omnis ergo hic metus, quem nobis isti incutiunt, de earum conclusionum, quæ ex Scripturis ratiocinando deducuntur, incertitudine, vanus est: quem uno caussæ studio impulsi imperitorum animis non alio consilio offundunt, quam vt hac arte suam illam absurdissimam, stultissimamque *methodum* inducant, qua omnem ratiocinationis usum ex hominum disputationibus, ac colloquiis exterminant: quod suam fidem, ac de religione sententiam aliter defendi non posse intelligant. Nam ut in eos nunc usurpem, quod olim in Arianos ex Patribus supra commemoratis nonnemo simili in causa dixit, *norunt isti certissime, si ad hoc remota eorum intentione*, sive methodo, *descensum fuerit, ut ex consequentia Scripturarum* nostræ fidei dogmata *probentur, facillime se superari posse, & ideo timoris & diffidentiæ periculo acti nudi sermonis flagitant documentum.* Dial. inter Phot. Ar. & Athan. p. 476. init

CAP. XII.

Fidem, quæ iis adhibetur quæ sunt ex Scripturis ratiocinando conclusa, non humana ratione, sed Scripturis divinis niti.

VIx refutatione dignum est, quod iidem ineptissime, objectant, si iis quæ ex Scripturis

pturis ratiocinatione conclusimus, plane assentiamur, fore ut fides nostra ratione humana nitatur. Quasi vero *rationis* nomine id argumentum, cujus vi conclusio elicitur, ac non potius eam animi nostri facultatem, qua ratiocinamur, in hac disputatione significemus. Hoc argumento, & *audiendi* quoque sensu niti fidem nostram concluseris; quod Paulus
Rom. 10. 17. scilicet *fidem ex auditu esse* dixerit. Atqui nemo est adeo imperitus, qui nesciat *fidem* divino verbo, quod auribus accipimus: non auribus, quibus verbum accipimus, niti. Auris instrumentum est, quo verbum excipitur: ratio, quæ ad credendum impellit, non auris est (apage ineptiam) sed rerum, quæ in verbo elucet veritas. Sic etiam *ratio*, vel (vt idem clarius, ac sine ullo ambiguo eloquar) *mens* nostra ea cernit, atque perspicit, quæ in Scripturis insunt: ea dijudicat, ac complectitur: iis denique assentitur. *Mentem*, ut his assentiatur, permovet, non sua ipsius actio, & operatio, sed Scripturarum, apud quas ista cernit, auctoritas. Vt cum verbi gratia, ex eo quod di-
1. Tim 2. 6. serte affirmat Apostolus, *Christum Iesum esse hominem*, concludis *Christo animam* inesse, tua hæc conclusio Apostoli voce, atq; auctoritate, non mentis tuæ vel facultate, vel actu, nititur. Vnum hic egit tua sive *mens*, sive *ratio*: Nimirum id in Apostoli verbis inesse vidit, atque animadvertit, quod vere in iis est. Id vero fidem, si proprie loquendum est, non *dare*, sed accipere est, quod *mens*, sive *ratio* nostra adeo non vetatur, aut prohibetur, ut etiam jubeatur.

Siquid

Siquid illa docet de ſuo: ſi ſua inventa pro Dei oraculis venditat: merito damnanda fuerit, quæ id, quod unius Dei eſt, invaſerit, ac ſibi ſumpſerit. Sin quæ ipſa & credit, & aliis perſuadere ſtudet, in Dei verbo docentur, ſi in eo etiam, antequam illa crederet, vere inerant, profecto quod ea in verbo vidit, quod ut alii eadem in eo videant, laborat, ac ſatagit, id nullum ejus crimen eſt: neque ſic accipi vel debet, vel poteſt, quaſi eo hoc ſibi arroget, ut ipſa vel ſuæ, vel alienæ fidei fundamentum habeatur. Non aliud menti, ſive rationi noſtræ jus vindicamus: quam ut ei liceat oculos aperire, verbumque divinum intueri, & quid in eo Deus nobis offerat, ac proponat, & religioſe, & diligenter inſpicere. Non gloriamur, aut contendimus nobis datum eſſe, ut nova myſteria hominum generi revelemus: neque vel arrogamus nobis, vel uſurpamus poteſtatem condendi, Chriſtianiſque promulgandi hactenus ignota fidei capita. Hoc unum rogamus, & poſcimus, ne id nobis eripiatur, quod eſt omnibus hominibus ab ipſa natura datum; ut jus, faſque ſit res oculis noſtris objectas videre, & quæ in communi luce poſita ſunt, aſpicere, & quæ Deus clare ac dilucide apud nos in publicis Scripturis elocutus eſt, audire, & intelligere, quæque inde neceſſario & evidenter ſequuntur, colligere atque complecti. Nihil opus eſt, noſtra quidem ſententia, prophetam eſſe, & extraordinario numinis afflatu illuminari, ut intelligas Scripturam, quæ *omnes homines* (uno Domino excepto *) *peccaviſſe* affir- Rom. 3. 10 11. 12. & 5 12. Heb. 4. 15

F maiſ-

matiſſime pronuntiat, eandem illud quoque conſequenter, ac neceſſario docere, *Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & Franciſcum*, & ſingulos denique mortales *peccaviſſe*; quæque diſerte negat *ullos, qui in Ieſum Chriſtum crediderint*, perituros, eandem pariter negare *Paulum & Petrum perituros, ſiquidem crediderunt*; quæ teſtatur *maledictum eſſe omnem, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*, eam hoc quoque confirmare, *maledictum eſſe, qui vel adulterio, vel alienæ uxoris concupiſcentia ſe polluerit*: cum in libro legis ſcriptum eſſe ſciamus, *Non mœchaberis: Non concupiſces uxorem proximi tui.* Nolle, ut de hujuſmodi conſecutionibus judicare poſſimus, id vero eſt nobis, non prophetiæ lumen, non proprium ac ſingulare extraordinariæ revelationis donum (quæ nos nunquam nobis vindicavimus) ſed communem hominum ſenſum eripere, & rationalis creaturæ natura, ac nomine exutos in mutas pecudes transformare.

Ioan 3. 16. 18.

Gal. 3. 10. & Deut. 27. 26.

Exod. 20. 14. 17.

CAP. XIII.

Ad hoc, ut argumenti concluſio divinæ veritatis cenſeatur, ſatis eſſe, ut propoſitionum, ex quibus ea eruitur, altera extet in Scripturis.

SEd his, quæ hactenus diſſolvimus, novam objectionem adjiciunt veteratoriæ methodi parentes, ſi valent (inquiunt) quæ ex Scri-

pturis

pturis nectuntur argumentorum consecutiones, illæ certe tantum valent, quæ ex iis concluduntur, quæ in Scripturis expressa habentur omnia. Si *præmissarum* (ut in Scholis loquuntur) hoc est duarum propositionum, ex quibus quæstio concluditur, altera non ex sacris litteris, sed ex hominum sensu, aut ratione ducta sit: quicquid ex iis conficietur, id non sublimioris, quam humanæ (hoc est dubiæ, & parum certæ) veritatis censeri potest, quod hæc perpetua sit omnium legitimarum ratiocinationum, & quidem, ab optimis Dialectices magistris observata lex, ut *semper conclusio deteriorem partem sequatur.* Verbi gratia, si ita argumenteris: *Qui cœlum & terram creavit, is verus, & æternus Deus est olim ab Israële adoratus: Atqui Christus Iesus cœlum & terram creavit: Ergo Iesus Christus verus est & æternus Deus olim ab Israële adoratus:* fortassis Methodici non dubitabunt hanc conclusionem velut dogma divinum, certa & indubitata fide dignum admittere: quod propositiones, ex quibus ea deducitur, ambæ in Scripturis habeantur: ut postea docebimus. Si vero ita ratiocineris: *Corpus quod in cœlis est, id in terris simul ac semel non est: Atqui Christi corpus in cœlis est: Ergo non est Christi corpus in terris*: ut cœtera, quæ ad hoc argumentum afferre solent, nunc mittam, illud quidem etiam respondebunt, si vel admittatur ratiocinatio, conclusionem certe pro divina, adeoque pro certa & indubitata veritate haberi non posse, cum propositionum, ex quibus ea colligitur prior (*majorem* Logico-

rum Scholæ appellant) non, ut altera (id est minor) ex sacræ Scripturæ fontibus, sed ex humanæ rationis lacunis hausta sit, itaque ex sua origine censendam, & inter humanas tantum opiniones, quibus dubium & obscurum semper immixtum adhæret collocandam esse. In hac isti objectione magnifice se se verterunt, ac triumphant, eamque perpetuo, etiam in gravissimis colloquiis, ostentant. Nos vero, si res tantum nostra spectetur, de his laborare nihil admodum necesse est: quibus etiam istis concessis, id quod superest, satis est ad hanc nostram agendam causam. Isti enim quæ ex duabus propositionibus concluduntur, quarum una è Scripturis, altera è sensibus, vel è ratione humana habeatur, ea vera esse concedunt, eo saltem veritatis gradu, quo censentur ea quæ vel à sensu, vel à ratione discimus: & iis, quæ sunt hujusmodi, sic esse assentiendum, ut nivem esse candidam, cœlum rotundũ, totum sua parte majus assentimur. Atqui hoc ipsum nobis ad præsentem causam satis est. Hujus enim generis argumenta, ex diversæ naturæ propositionibus contexta ad fidem adversariorum oppugnandam, non ad nostram constituendam ut plurimum adhibemus. Vt vero dogma aliquod refellas, & fide indignum esse demonstres, satis est ostendere id cum vero aliquo pugnare. Sive à Dei revelatione sive à naturæ, Scholæ fuerit veritas, quodcumque cum ea pugnat dogma, falsum est. Veritas enim una, & simplex est, sibique undequaque constans. Error in se ipsum incurrit; unumque menda-

cium

cium alio ſæpe evertitur; ſeque mutuo collidunt, ac diruunt, quæ falſa ſunt. Quæcum autem vera ſunt ea inter ſe conſentiunt, amiceque conſpirant, neque unquam inter ſe confligunt, aut pugnant. Si quod ergo adverſariorum dogma cum veris pugnet, ſive iis, quæ apud Dei Scripturas didicimus, ſive etiam iis, quæ vel à ſenſibus, vel à ratione naturali hauſimus ac percepimus, id hoc ipſo ſtatim falſum eſſe revincitur; nedum ut inter ea cenſendum ſit, quæ divinitus revelata fide dignamur. Nam & naturæ & gratiæ, & ſenſus, rationiſque, & fidei unus idemque auctor eſt Deus: qui, quæ in naturæ Schola docuerat ea in gratiæ (ut ſic dicam) auditorio, non refixit, aut retractavit, ſed polivit, & confirmavit, & quæ illic inchoaverat, ac veluti delineaverat, hic ſuis omnibus numeris abſolvit, ac perfecit. In hac ergo diſputatione adeo non eſt neceſſe ex meris Scripturæ propoſitionibus ratiocinari, ut etiam liceat interdum ea hic argumenta uſurpare, quorum præmiſſæ à ſenſibus, & ratione ambæ ductæ ſint. Vt ſi verbi gratia non eſſe Euchariſtiam humanum corpus inde argumenter quod cum hominis corpus nullius ore totum includi ac contineri poſſit, hanc etiam infantis os capiat, ſiquis ſit ex adverſariis qui mihi ſuum hoc dogma ita refellenti reſpondeat, hęc ex quibus cōcludo, non ex Scripturis, ſed partim à ratione, partim à ſenſu naturali haberi; næ iſte inepte atq; inſulſe reſpondebit, eaque afferet, quæ nihil ad diſſolvendam objectionem proſunt. Nihil enim intereſt à quo hæc, quæ aſſero, ma-

ſtro didicerim. Illud unum ad rem pertinet, vera-ne iſta ſint, an ſecus. Si vera ſunt; quod ex his concluſi, id quoque ipſum neceſſario verum eſt, quod vero tu contra affirmas, id pariter falſum eſſe neceſſe eſt. Neque enim ſimul conſiſtere, veraque eſſe poſſunt ea quæ (ut in Scholis loquuntur) *contradictorie* inter ſe opponuntur: cujuſmodi ſunt hæc, *Euchariſtia corpus eſt humanum*; *Euchariſtia corpus non eſt humanum*: quorum tu alterum affirmas: ego alterum concluſi. Atque his quidem de cauſſa in hac diſputatione noſtra præmiſſis, ut nunc ad rem ipſam veniamus, nego *ad id concludendum. quod auctoritatis, ac fidei divinæ ſit, neceſſario requiri, ut utraque ex qua id concluditur, propoſitio ex revelatione divina ſit: omninoque ſatis eſſe, ſi harum altera ex Scripturis ducta ſit, altera vero ex naturæ luce clare atque evidentur conſtet.* Ita Eccleſia contra Apollinarii delirium argumentatur: *Omnis homo animam habet intellectu præditam: Dominus noſter Ieſus Chriſtus homo eſt: Ergo & ipſi anima eſt intellectu prædita.* Propoſitionum, ex quibus contexitur argumentum, *minor* in Scripturis habetur: major non habetur: ex rationis, ut apparet, Schola, ac luce hauſta, acceptaque. Ideo-ne dixeris, quod ex utraque concluditur, *Chriſtum* ſcilicet *Ieſum animam habere intellectu præditam*: id humanum, non divinum, è terra ductum, non à cœlo acceptum eſſe dogma? Atqui nemo eſt adeo obtuſus, qui non intelligat Deum, dum, *hominem eſſe ſuum Filium* cœlitus nobis revelat, hoc ipſo illud quod iſto continetur ſimul

1. Tim. 2. 5.

mul quoque apertiſſime revelaſſe ac docuiſſe, nempe *Filium ſuum corpus, animam intellectum habere, & cætera quæcumque* ſunt ejus naturæ, quæ hominis, nomine ſignificatur, propria, ac ut loqui ſolemus) eſſentialia? Aliter enim neceſſario concedendnm erit, Deum nos plane nihil docuiſſe, dum *Filium hominem eſſe* docuit; Sed caſſo & inani verborum ſono aures noſtras nequicquam pulſaſſe. Quid enim iſtud eſt obſecro, quod docet Deus *Chriſtum eſ- hominē*, ſi hoc non eſt *Chriſtum corpore, animaque, & intellectu* eſſe præditum & cæteris quibus natura hominis nomine ſignificata conſtat? Ita quoque cum Scriptura *terram à Deo creatam* docet: eo profecto ipſo docet Americam, & Auſtralem continentem, & Sinenſium regiones, & Eoas Indici maris inſulas, à Deo creatas eſſe; tametſi has orbis terreni partes eſſe non Scriptura, quæ nuſquam eas memorat, ſed ſenſus, & ratio nobis demonſtraverit. Neque ego quemquam eſſe arbitror tam ſtultum, aut impudentem, ut Sinenſium terras, aut Iaponum, & Taprobanæ inſulas à Deo creatas eſſe, ideo ex Scripturis conſtare neget, quod eæ *terram à Deo creatam fuiſſe* ſimpliciter dicant; has regiones terræ à Domino creatæ partes eſſe nuſquam diſerte ac nominatim dicant. Deus enim ubique in Scripturis illud imprimis conſtituit, ac (ut Scholæ loquuntur) *ſupponit* homines eſſe quos alloquitur, non pecudes; eoſque rerum, de quibus apud ipſos verba facit, naturam, ſi non accurate, & ſubtiliter, & (ut ſic dicam) philoſophice (quod ni-

hil ad ejus consilium necesse est) certe in genere, & pro vulgi captu aliquatenus cognoscere: ut adeo possint quæ ipse de re aliqua tota, ac universa dixit, ea ad singulas ejus partes referre, atq; applicare Itaq; quoties aliquid de re tota universe docet, id nemo non videt perinde esse, ac si de omnibus quæ ea continentur, idem illud sigillatim revelasset. Verbi gratia cum Scriptura *Christum esse hominem* ait id tantumdem valet, quam si sigillatim, enucleateque dixisset Christi corpus suum esse, nostri geminum, ac congener, sua certa quantitate constans, locum suarum dimensionum æquale occupans, seque de loco in locum tempore aliquo moliens, in membra conformatum, exque certis & aptis & à se invicem distinctis partibus coagmentatum, quæ sua quæque spatia repleant, neque in eodem omnes puncto confusæ, permixtæve sint; esse & ejusdem animam, quæ intelligat, quæ velit, quæ amet, & cæteris humanæ naturæ propriis facultatibus prædita sit. Omnia sunt ita clara, atque obvia, ut qui de his dubitarit nemo ante Methodicos istos Sophistas repertus sit. Quin & quicumque sunt in istorum partibus eruditionis, ac sapientiæ nomine celebres, ii fere nobiscum in hac parte sentiunt. *Sed & id postremo* (inquit Melchior, Canariensis Episcopus) *considerandum* (*est enim res magna ac diligenti contemplatione dignissima*) *non illud modo ad doctrinam* Catho*licam pertinere, quod Apostolis expresse revelatum est, verum etiam quod ex altera propositione revelata, & altera certa lumine naturali, Syllogismo*

Canus loc. Theolog. l. 6. c. 8.

colle-

collectioneque evidenti conficitur. Et Vega diserte negat quicquam hujusmodi conclusioni *deesse, quominus censeatur de fide.* Vasquis idem est de his judicium. Ambrosius Catharinus, Minoritanus primo Episcopus, mox & Comsanus Archiepiscopus, vir apud istos doctissimus, ac nobilissimus quique inter Tridentinæ Synodi Patres fuit, & quidem non postremus, hanc eandem sententiam contra Sotum defendit, quam Scoti quoque fuisse testatur; *Vide* (inquit) *& falsum existimo illud, quod ais, Quoties est una propositio de fide, alia de scientia, vel experimento, conclusio quæ infertur, sit de scientia vel experimento, & non de fide; scilicet ex regula illa, quod conclusio sequitur debiliorem partem. Certe contra hoc vere inopinabile Scotus docet, qui dicit (sicut te peritus in Scholasticis potes vidisse) quod cum sumitur una propositio naturaliter evidens, & alia de fide, quæ ex illis sequitur conclusio, est de fide. Et exemplum ponit hujusmodi, puta si dicatur. Omnis generans differt realiter a genito; hæc ut ille ait, naturalis est. Subinferatur ergo; Sed in divinis Pater est generans: hæc est fidei; Ex illis quæ sequitur conclusio, Ergo Pater generans in divinis realiter distinguitur a Filio genito; non naturalis conclusio est, sed fidei; & tamen si vera esset tua positio, deberet esse conclusio naturalis, quoniam per te debilior est. Ratio autem est, quia quo ad nos incertior est illa, quæ est de fide. Ideo in hoc est & fuit deceptio tua.* Hæc Catharinus, qui ipsam illam Logicorū regulam in Sotū, & idem cum eo sentientes Sophistas Methodicos ingeniose, ut vides, & acute retorquet.

Veg l. 9. de justif. c. 39.
Vasq. in 1. Thom. q. 1. disp. 1., art. 8. cap. 2.

Ambros. Cath in expurg ad Soto. pag. 156. l. 7.

Cum enim quæ de fide est propositio si captus nostri ratio habeatur, minus certa, minusque evidens adeoque debilior sit, quam quæ ex ipsa naturæ luce habetur; palam est conclusionem argumenti ex hoc ipso Dialecticorum canone, de fide censendam esse, si quidem earum, ex quibus infertur, propositionum altera de fide fuerit. Huc accedit, quod nescio an verus, satisque firmus sit is qui ad hanc disputationem, à Methodicis magistris affertur, Logicæ illius regulæ sensus. Dum enim decernunt Dialectici *conclusionem sequi debiliorem partem*, omnino hoc unum significare velle videntur, si præmissarum altera universalis fuerit, altera particularis, vel altera affirmans, altera negans, vel denique altera necessaria, altera duntaxat probabilis, conclusionem sequiorem partem sequuturam; hoc est particularem, non universalem: negantem, non affirmantem, probabilem denique, non necessariam futuram. Hoc vero totum facile Methodicis Sophistis concedimus; nosque in Dialecticorum leges peccasse, & eorum ferula dignos esse non negamus, si quando ex negante, vel particulari propositione affirmantem, vel universalem concludere instituerimus, vel si quæ ex iis, quæ probabilia sunt duntaxat, conclusa sunt, ea necessaria esse contenderimus. Illam vero Logices regulam ultra tendere, ut significet si quid ex duabus propositionibus conclusum sit, quarum alteram Deus revelarit, alteram natura docuerit; conclusionem non inter fidei dogmata,

gmata ſed inter humanas notitias cenſeri debere; id vero iſtorum ſomnium eſt ſic ab omni ratione alienum, ut de eo quemquam ex idoneis, probatiſque Dialectices auctoribus vel vigilantem unquam vel etiam dormientem cogitaſſe non ſit veriſimile.

PARS



PARS SECVNDA.

EX

SCRIPTVRIS PROBANTVR AFFIRMATIva Fidei noſtræ Capita.

CAP. I.

Exponuntur capita Fidei noſtræ affirmativa, quotquot præcipua & maxime neceſſaria ſunt.

SED hæc quidem hactenus dicta ſatis eſſe videntur ad vindicandos à Methodicorum importunitate, atque tyrannide ſenſus, animosque noſtros, & ad ſolvendas triſtes, & contumelioſas catenas, quibus eos homines amentiſſimi per ſummam injuriam vincire, ac conſtringere nequicquam conantur. Nunc ad inſtitutam fidei noſtræ demonſtrationem veniamus; & ea, quæ credimus atque confitemur, primo univerſa breviter & quantum ſatis eſt, exponamus; tum ſingula legitime ex Scripturis

ris probemus, iis inde allatis, descriptisque testimoniis vel in quibus, quæ probanda sunt, diserte, proprieque legantur, vel ex quibus clare, ac necessario concludantur.

Principio credimus, quod omnis cœlorum, terrarumque natura docet, ac clamat, Deum esse unum, æternum, immensum, incomprehensibilem, summe bonum, sapientem, potentem, ac justum; ejusque nutu ac manu mundum hunc totum & initio creatum esse, & nunc quoque sic regi, atque gubernari, vt neque in natura, neque apud homines quicquam, nisi ipso vel decernente, vel permittente, fiat. Credimus hominem in ipsis mundi primordiis à Deo ad suam imaginem, & similitudinem conditum, & in Hedenis paradiso collocatum, ubi vitam beatam, ac immortalem ageret; cæterum hominem ex tanta fœlicitate sua culpa excidisse, cum Dei, Domini ac conditoris sui præceptum violasset; quo crimine, tum ipsum, tum omnes ejus posteros, Dei gratia ac favore multatos, peccati, & mortis factos esse servos. Credimus Deum una generis nostri commiseratione adductum, Dominum Iesum Christum, carissimum atque unicum Filium, in terras cum impleta essent præfinita tanto operi tempora, misisse; eumque sua, ac Patris voluntate, quæcumque erant ad homines vel exitio eripiendos, vel vita æterna donandos, necessaria, abunde partim gessisse, partim etiam perpessum esse. Hunc autem Dei Filium credimus, ac confitemur verum, atque unicum esse cum Patre Deum, con-

substan-

ſubſtantialem, & coæternum, & cum ante ſæcula apud Patrem exiſtat, factum in tempore hominem, aſſumpta in perſonæ unitatem in beatiſſimæ Virginis Mariæ utero carne, hoc eſt natura noſtra; inde natum promulgata apud Iſraëlem ſua gratia, falſis Iudæorum accuſationibus à Pontio Pilato Hieroſolymis damnatum ac crucifixum, mortuum, ac ſepultum; tertia inde die reſurrexiſſe, & poſt actos in terra cum diſcipulis dies omnino quadraginta, in cœlos ſubvectum ad Patris dexteram, accepta ſumma in univerſum orbem poteſtate, glorioſiſſime conſediſſe; atque nunc ex illo gloriæ throno regnare, & mundum arbitrio ſuo totum moderari ac regere, donec noviſſimus ille dies illuxerit, quo mundum poſtremo judicaturus adveniet. Hunc credimus ultrici Patris juſtitiæ ſua morte abunde ſatisfeciſſe, quod pœnas omnibus humani generis peccatis dignas luerit; Salutem æternam promeritum eſſe; & religionem, ac diſciplinam nobis, quâ eam adipiſceremur, tradidiſſe, fide & caritate conſtantem. Hujus eximia, vereque divina obedientia placatum, ac propitiatum Patrem in ſuæ gratiæ ſinum ſuſcipere miſeros mortales, quotquot ſuæ egeſtatis pertæſi, veraque peccatorum pœnitentia adducti ad ipſum confugiunt, ejusque & bonitati confidunt, & promiſſis credunt; Hos Patrem amanter in Filio complecti; his peccata gratis omnia remittere; hos ita habere, tractareque, ac ſi numquam ejus numen læſiſſent, neque in ſanctiſſimas leges peccaſſent; Hos vero Chriſti fi-

sti fide vivificatos, atque animatos sancte deinceps, atque Christiane tantam Dei clementiam expertos, omnem vitam instituere, pietate in Deum, caritate in proximum, & omnibus, quæ ex his fontibus manant, officiis sedulo ex Domini Evangelio, fungentes; In quo Christum enixe præcepisse confitemur, ut qui sunt ejus discipuli, Deum quidem & amore summo diligant, & summa adoratione colant; proximos vero sincera, atque eximia caritate ex animo complectantur, & ab omni in homines injuria tanta religione abstineant, ut eorum & dignitatem, & vitam, & pudicitiam, & fortunas, & honorem, ac famam facto, dictove, imo vel ipsa animi cogitatione violare nefas putent; ut societatum humanarum, in quibus degunt, ordini ac legibus subjecti sint; in Principes morigeri, in cives humani; inter sese amicissimi; quicumque eadem secum fide sunt, eos ut fratrum loco habeant, & sancto religionis fœdere conjuncti ac colligati in unius Ecclesiæ corpus coeant; quod ut coalescere, constituique possit, Pastores singulis cœtibus præficiantur, qui communioni ac fraternitati præsint; divinam doctrinam, & ea sacramenta administrent, quæ in id à Domino instituta ac tradita sunt, ut sint & suæ gratiæ pignora, & sui nobiscum fœderis signa, ac sigilla. Confitemur enim Christum jussisse, ut credentes in Patris, Filii, & Spiritus sancti nomine baptizentur in remissionem peccatorum; ut baptizati de sacro illo pane edant, caliceque bibant, quos ipse ad mortis suæ commemo-

memorationem, ſanctiſſimique corporis, ac ſanguinis ſui communicationem inſtituit. Confitemur tametſi Chriſti myſteria per ſe & veriſſima, & in clariſſima luce poſita ſint, ita tamé peccati, carniſq; ſtudiis implicitos atq; occęcatos eſſe homines, ut hæc neq; intelligāt neque credant umquam, niſi Spiritus S. unus cum Patre & Filio æternus, & in ſæcula benedictus Deus, eorum mentes illuminaverit, cordaque aperuerit, & ad ſuſcipiendum cœleſtis doctrinæ lumen patefecerit; hanc autem eximiam gratiam à Deo pro uno ſuo beneplacito donari, ac diſpenſari, quibus, quando, quo modo, quaque menſura ſapientiſſimo, atque optimo numini libuit. Credimus quicumque ex ſanctiſſima hac diſciplina & crediderint, & vixerint, eos Dominum ſalute ſua donaturum; ac primo quidem cura ac providentia peculiari in his terris peregrinantes conſervaturum, tum in requiem ſuam ex hac vita migrantes collecturum; denique ſupremo mundi die corporibus de pulvere reſuſcitatis reformatos in ſummos cœlos evecturum, in beatiſſimis illis ſedibus immortali gloria fruituros, unaque cum Chriſto capite ſuo æternum regnaturos; Incredulos vero & impœnitentes juſtiſſimo Dei judicio damnatos ſcelerum ac criminum pœnas interminabiles una cum Diabolo, & dæmonibus in inferis daturo.

Hæc quidem, quæ fere ſunt omnia fidei noſtræ capita, in Scripturis clare liquidoque contineri ita manifeſtum eſt, ut id negari citra impudentiam non poſſe haud dubie confeſſu-

rus

tus ſit, quiſquis erit in divinorum librorum lectione verſatus. Nam ex ipſa recitatione apparet his plena eſſe omnia ſacra, præſertim vero novi teſtamenti volumina: ut vix unus eorum verſiculus ſit, quo non aliquod ex iſtis caput doceatur. Singula tamen, quod poſſunt Methodici, demonſtremus. Ac ne quid nobis, ut ſolent, de vocibus, atque ſyllabis controverſiæ faciant, teſtimonia ex Latino interprete, cujus ſumma eſt apud Romanos homines auctoritas, deſcribemus; pauca de ſingulis fidei capitibus recitabimus; & præter iſta, quædam alia in margine indicabimus tantum. Scriptura enim tota nobis deſcribenda eſſet, ſi quæcumque ejus loca ad hanc rem quomodocumque faciant, huc afferre vellemus. Iam ipſam Scripturæ apud omnes confeſſam veritatem, atque divinitatem ſumimus, & (ut Scholæ loquuntur) ſupponimus; neque de ea probanda in hac quidem diſputatione laboramus; cujus non aliud eſt conſilium, quam ut demonſtremus eas res, quarum nos fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe cenſemus, omnes in iis libris inveniri qui & à nobis, & à cæteris fere univerſis Chriſtianis *fidei regula, ac principium* habentur. Id enim ſatis eſt ad refutandam novorum Sophiſtarum calumniam, qui ut Scripturam imperfectam eſſe vincant, noſque ſic cogant invitos ad Eccleſiæ auctoritatem confugere, præfracte & impudenter negant ex Scripturis, quas tanti facimus, poſſe à nobis probari ea, quæ ad ſalutem creditu eſſe neceſſaria ſtatuimus.

CAP. II.

De Dei eſſentia, natura, attributis, atque operibus.

ERgo *Deum eſſe* Scriptura primis ſtatim verbis docet, dum ait *in principio creaviſſe Deum cœlum & terram*: paſſimque de Deo loquitur, veluti de eo, quem exiſtere omnes ſciunt, ac fatentur. Itaque ſi qui ſint, qui Deum eſſe negent, eos non modo impios, atque irreligioſos, ſed etiam ſtultos, & inſipientes cenſet. Deum tota ſcriptura innumerabilibus modis agentem, ac loquentem ubiqué inducit; eumque non tantum *eſſe*, ſed etiam *Solum* vere eſſe; cætera, quæ *eſſe* dicuntur, non aliter, quam ex eo, & ab eo eſſe docet. Quot ſunt igitur in divinis libris loca, quibus Deo aliqua vel proprietas, vel vox, vel actio tribuitur (ſunt autem hujus generis pene innumerabilia) totidem habemus Scripturarum de hac veritate, clara & invicta teſtimonia.

Pſal. 13. (Heb. 14) 1.

Hebr. 11. 6. Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

Act. 17. 27. 28. Deus non longe eſt ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.

1. *Cor.* 8. 6. Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.

Vide etiam Deutero. 4. 39 & 6. 4. Iſai. 45. 5. 6. 21. Ioan. 17. 3. & alia innumera paſſim.

Exod.

Exod. 3. 14. Dixit Deus ad Moyſen; Ego ſum QVI SVM. Ait: Sic dices filiis Iſraël; QVI EST miſit me ad vos.

Iſai. 37. 16. Domine exercituum, Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ; Tu feciſti cœlum & terram.

Iſai. 43. 10. 11. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Salvator.

Pſal. 89. (*Hebr.* 90) 2. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus.

2. *Deum eſſe æternum.*

Gen. 21. 33. Abraham invocavit nomen Domini, Dei æterni.

Pſal. 101. (*Hebr.* 102.) 27. 28. Cœli peribunt; tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent; Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Rom. 16. 26. Evangelium patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei.

1. *Tim.* 6. 16. *Deus* ſolus *habet immortalitatem.*

Vide etiam Exod. 15. 19 Iob. 36. 26. Pſal. 9. (Hebr. 10.) 8. 37. & 89. (Hebr. 90.) 2. Iſai. 41. 4. & 43. 10. & 44. 6. & 48. 12. 1. Tim. 1. 17. Apoc. 1. 8.

3. *Deum eſſe immenſum, vel infinitum.*

Ierem. 23. 24. Numquid non cœlum & ter-

terram ego impleo, dicit Dominus.

Vide etiam 2. Reg. 8. 27. 2. Paral. 2. & 6. 18. Psal. 138. (Hebr. 139.) 7. Isai 66. 1.

Act. 7. 48. 49. Non, Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit, Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?

Iob. 7. 8. 9. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est; & quid facies? profundior inferno; & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari.

4. *Incomprehensibilem esse naturam Dei; incomprehensibilia & judicia.*

Vide etiam Exod. 33. 20. 1. Tim. 1. 17.

Rom. 11. 33. 34. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?

1. *Tim.* 6. 15. 16. Beatus & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium, solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.

5. *Deum esse summe bonum,*

Exod. 34. 6. 7. Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ misera-

atio-

rationis, ac verax; qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.

*Psal.*135. (*Hebr.*136.1.) Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

*Matth.*19. 17. Vnus est bonus, Deus.

6. *Deum esse justissimum.*

*Ierem.*12. 1. Iustus quidem tu es, Domine, si disputarem tecum.

*Psal.*10. (*Hebr.*11.) 8. Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Psal. 118. (*Hebr.*119.) 137. Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.

7. *Dei sapientiam esse infinitam.*

*Psal.*146. (*Hebr.* 147.) 5. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.

*Rom.*11. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!

*Rom.*16. 27. Soli sapienti Deo honor & gloria.

8 *Deum esse omnipotentem.*

*Gen.*17. 1. Apparuit *Abrahæ* Dominus, dixitque ad eum, Ego Deus omnipotens. Vide etiam Gen. 18. 14. & 31.

*Mtth.*19.26. Apud Deum omnia possibi- 11.& 41.3.

 lia

lia ſunt.

Luc. 1. 37. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

Eph. 3. 20. Ei qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis], ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.

9. *Deum omnia creaviſſe.*

Vide etiam Actor. 14. 14.

Gen. 1. 1. In principio creavit Deus cœlum, & terram.

Act. 4. 24. Levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine: tu es, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt.

Act. 17. 24. Deus fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt.

Rom. 11. 35. Ex ipſo (*Deo*) & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

Epheſ. 3. 9. Deus omnia creavit.

10. *Deum providentia ſua omnia regere, ac gubernare.*

Vid. etiã Gen. 18. 25. Iob. 38. 41. Pſal. 103. [Hebr. 104.) 21. & 135. (H, 136.) 11. 16. & 146.

Matth. 10. 29. 30. Nonne duo paſſeres aſſe væneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. • Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

Act. 17. 25. 26. 28. Ipſe (*Deus*) dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univer-

universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, &c. In ipso vivimus, & movemur, & sumus. [H.147] 8.9. Prov 1.4.33. & 20.24. & 21 1. Isai. 42.5. Jer 10. 11. 12. 23. 23. Amos 3. 6. Matth. 6. 26. 28. 29 30.

*Rom.*11. 35. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

*Isai.*45. 6. 7. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc,

CAP. III.

De creatione, natura, & corruptione hominis.

1. *Deum ab initio hominem creasse ad imaginem suam.*

*Gen.*1. 26. 27. Deus ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum. Vide etiam Gen. 2. 7. 8. 5. 17.

2. *Hominem à fœlici statu, in quo primum erat conditus, per inobedientiam suam excidisse.*

Hujus lapsus hominis historia luculentissime descripta apud Moysen habetur Geneseos capite tertio; quæ omnibus nota est.

Eccles. 7. 30. Solum modo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.

3. *Hominis primi inobedientia & ipsum & omnem ejus progeniem peccato & morti fuisse subjectam.*

Roman. 5. 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

1. *Cor.* 15. 22. In Adam omnes moriuntur.

4. *Homines nunc natura esse peccato corruptos, & morti obnoxios.*

Roman. 3. 23. Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.

Ephes. 2. 3. Nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & cæteri. *vers.* 5. Cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo.

5. *Illam peccati corruptionem hominibus ab ipsa nativitate inesse.*

Psal. 50. (*Hebr.* 51.) 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ioan. 3. 6. Quod natum est ex carne, caro est.

Iob.

*Iob.*14. 4. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?

CAP. IV.

De Mediatoris perſona, & naturis.

1. *Deum Patrem ex mero ſuæ miſericordiæ affectu unigenitum Filium ad ſalvandum hominum genus miſiſſe in mundum.*

*Ioan.*3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

*Rom.*8. 3. Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.

1.*Cor.*1. 30. Chriſtus Ieſus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

2. *Illum unigenitum, pro nobis miſſum Dei Filium, jam extitiſſe antequam carnem noſtram in B. Virginis Mariæ utero aſſumeret.*

*Ioan.*1. 1. 2. In principio erat Verbum, &

Vide etiam Ioan. 3. 13 cum Ioã. 6. 62. 1. Cor. 10. 9

bum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; Hoc erat in principio apud Deum. *Verbum autem illud, de quo sermo est, Dei Filium, qui incarnatus est, intelligi patet ex iis quæ paulo post sequuntur vers. 14.* Et Verbum caro factum est.

Phil. 2. 6. 7. Christus Iesus cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo, humiliavit semetipsum.

2. *Cor.* 8. 9. Scitis gratiam Domini nostri I. Christi, quoniam propter vos egens factus est, cũ esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

Ioan. 8. 58. Dixit eis Iesus; Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

3. *Filium pro nobis missum, Deum esse.*

Ioan. 1. 1. Deus erat Verbum. *Verbum autem intelligit* quod caro factum est. *vers.* 14. *id est Filium pro nobis missum.*

Roman. 9. 5. Christus, qui ex Iudæis est secundum carnem, est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Tit. 2. 13. Exspectamus beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri I. Christi. τȣ̃ μεγάλȣ θεȣ̃ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησȣ̃ χριςȣ̃: *quæ necessario significant*, Iesu Christi, qui est magnus Deus & Salvator noster.

1. *Ioan.* 5. 20. Hic (*verus Dei Filius*) est verus Deus, & vita æterna.

Id ipsum ex Scripturis clarissime primo sic demonstra-

monstratur. I. *Qui cœlum & terram creavit, quique eadem providentia sua conservat, is vere Deus est; docente Scriptura: Isai.* 44. 24. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, & formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos SOLVS, stabiliens terram, & NVLLVS mecum. *Quare eadem Scriptura Domino, ut eum à cæteris omnibus secernat, ac separet, Creatoris elogium, tamquam unius Dei proprium, tribuit; ut Isai.* 42. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea; *quod etiam Isai.* 45. 12. *&* 48. 13. *&* 51. 13. *& alibi observari potest.*

*Atqui unigenitus ille Dei Filius, pro nobis in mundum missus, creavit cœlum & terram, & quæcumque sunt in eis, omniaque idem potentia & sapientia sua servat, fulcit, ac regit; ut eadem Scriptura docet. Ioan.*1.3. Omnia per ipsum (*Verbum illud, quod caro factum est*) facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. &c. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. *Col.*1. 16. *de filio dilectionis Dei*: In ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum & & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in isto constant. *Hebr.*1. 2. 3. Deus per Filium fecit & sæcula, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque

omnia

omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens sedet ad dextram majestatis in excelsis. *Ibid. vers.* 8. 10. 11. 12. ad Filium *hæc Prophetæ esse dicta ait*: Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt; Tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Ergo ille Dei pro nobis in mundum missus Filius vere Deus est.

II. *Qui corda hominum novit, is vere Deus est: teste Scriptura 2.Chron.6.30.* Tu solus nosti corda filiorum hominum. 3.Reg. (Hebr.1.) 8.39.

Atqui Filius Dei novit corda hominum eadem teste Scriptura: Apoc.2.23. ubi sic ipse Filius loquitur: Ego sum scrutans renes, & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.

Ergo Filius Dei vere Deus est.

III. *Qui summa, proprie sic dicta adoratione colendus atque adorandus est, is vere Deus est: docente Scriptura, Matth.4.20.* Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.

Vid Exod.22 5. Deut.5.7 1.Sam.7. (Latin. Reg.) 3.

Atqui Dei Filius summa, proprieque sic dicta adoratione non solum ab hominibus, sed etiam ab ipsis Angelis colendus & adorandus est, docente eadē Scriptura, Ioan.5.22.23. Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum, *Hebr.1.6.* Cum introducit (*Deus*) primogeni-

mogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Phil.* 2.9.10. Deus exaltavit illum *Filium*) & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Ergo Dei Filius vere Deus est.

4. *Filium unigenitum esse eundem illum Deum, quem olim sub veteri Testamento coluit omnis Israël, quique* יהוה *DOMINVS in veteri Scriptura nominatur,*

I. *Omnis Scriptura docet nullum alium vere Deum esse præter DOMINVM illum* יהוה *apud Israëlem cognitum, cultumque Deut.* 4.35. DOMINVS ipse est Deus, & non est alius præter eum. *Deut.* 6.4. Audi Israël, DOMINVS Deus noster, Dominus ejus est, *Deut.* 32.39. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.

Atqui Christum Iesum Dei Filium, vere Deum esse ex Scriptura demonstratum est. Ergo manifestum Christum Dei Filium esse DOMINVM illum olim apud Israëlem cognitum ac cultum.

II. *Is cujus Isaias gloriam se vidisse capite sexto scribit, vere est DOMINVS apud Israëlem cognitus; & adoratus.* Vidi (*inquit vers.* 1.) DOMINVM sedentem super solium excelsum & elevatum: *idemque ex versiculis* 3.5.7.11. *manifestum est.*

Atqui Iesus, Filius unigenitus, is ipse est cujus Isaias eo loco gloriam se vidisse scribit, ut patet ex Scriptura, quæ cum verba nonnulla ex hoc eodem, in quo ista habentur, Prophetæ loco recitasset, continenter subjicit. Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam ejus (*nempe* Iesu, *cujus loco pronomine* ejus *positum est*) & locutus est de eo: *Ioan.*12.41.

Ergo Iesus vere est DOMINVS ille, qui olim apud Israëlem colebatur.

III. *Templi Hierosolymitani Dominus vere est* יהוה *DOMINVS, cui uni sacrum fuisse id templum ex toto veteri testamento est apertissimum.*

Atqui Christus Dominus est templi Hierosolymitani: teste Scriptura, quæ Christum venturum prædicens, Statim (*inquit*) veniet ad TEMPLVM SVVM Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. *Malach.*3.1.

Ergo Christus vere est יהוה *DOMINVS, id est Israëlis Deus. Iesus autem Christus est, ut patet ex omnibus novi testamenti libris; Ergo Iesus vere est* יהוה *DOMINVS Israëlis Deus.*

IV. *Davidis, & cæterorum veteris testamenti fidelium Dominus est* יהוה *DOMINVS; ut ex veteribus Scripturis est apertissimum.* Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. *Exod.* 20. 2. 3. *Tu Pater noster*, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos. Tu Domine, pater noster, redemptor noster: à sæculo nomen tuum. *Isai.*63.16.

Atqui Christus Davidis Dominus fuit; ut ipsa Scriptu-

*Scriptura Matth.*22.42. *diserte docet ex his Davidis verbis, Psal.*109. (*Hebr.* 110.) Dixit DOMINVS Domino meo, sede à dextris meis.

Ergo Christus (adeoque Iesus) vere est יהוה *DOMINVS Deus.*

V. *Quem Israëlitæ in deserto tentarunt, is vere est* יהוה *DOMINVS.*

Atqui Iesus Christus is ipse est, quem Israëlitæ in deserto tentarunt, 1.*Cor.*10.9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum (Israelitarum) tentaverunt.

Ergo Christus ipse ille DOMINVS est apud Israëlem olim cognitus & adoratus.

VI. *De quo David verba facit Psalmo* 101. (*Hebræis* 102.) *extremo, is vere est* יהוה *DOMINVS, summus Deus Israëlis, ut apparet ex toto cantico ac nominatim ex versiculo* 25. *In quo eum, quem alloquitur, Propheta, qui Israelita erat,* Deum suum *salutat; in Hebræo codice:*

Atqui Iesus is ipse est, quem Psalmo illo compellat David, ac de quo verba facit: teste Scriptura, cujus luculentissima in eam rem verba, Hebr.1.10. *jam supra descripta sunt.*

Ergo Iesus vere est יהוה *summus Israelis Deus.*

VII. *Postremo Dominus Israelis Deus, negat* se gloriam suam alteri daturum *Isai* 42. 8. & 48. 11.

*Atqui constat ex Scriptura Dominum Deum Israelis suam gloriam Iesu Filio dedisse, Ioan.*5. 22. Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

Ergo Iesus non est alter à Domino Deo Israelis, sed unus, idemque cum eo Deus

5. *Filium pro nobis missum non esse unam eandemque personam sive hypostasin cum Patre.*

Sed Pater, & Filius, à Patre missus, tametsi sint unus, idemque Israelis Deus, ejusdem omnino naturæ, sive essentiæ: duæ tamen sunt inter se distinctæ personæ, atque ita apud Scripturas repræsentantur. Cum enim & gignens à genito, & mittens à misso necessario alius sit: palam est alium esse Patrem, alium Filium (hoc est quod diximus, duas esse personas inter se distinctas) Scriptura enim disertissime docet Patrem genuisse & misisse: Filium genitum & missum esse. Filius meus es tu: Ego hodie genui te, *inquit, Paulo teste, Deus Pater ad Deum Filium.* Act. 13. 33. ex Psalm. 2. 7. Misit Deus Filium suum. *Gal.* 4. 4.

Ex hac igitur Scripturarum doctrina apertissime, necessarioque confitendum est Patrem & Filium duas quidem esse personas, unum vero Deum ac numen in sæcula benedictum: quæ est omnium, qui sunt quique unquam fuerunt, orthodoxorum Christianorum fides.

6. *Filium Dei in temporum plenitudine assumpta in Beatissimæ Virginis Mariæ utero carne nostra, hominem esse factum.*

Vid. etiã Rom. 8. 5. Philip. 2. 6. Heb. 2.17. Roma. 1. 3. 4

Ioan. 1. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

*Gal.*4. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.

1.*Tim.* 3.16. Manifeste magnum est pietatis Sacramentum; θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria.

*Luc.*1. 30.31.32.33.34.35. Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus IESVM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, *&c.* Spiritus Sanctus superveniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Vide & Matth. 1. 18.

CAP. V.

De passionibus, actionibus, gloria, meritis, & doctrina Christi Mediatoris.

1. *Dei Filium in carne manifestatum Pontii Pilati sententia Hierosolymis crucifixum fuisse.*

*Act.*2. 23. Iesum Nazarenum definito con-

& præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis.

Fuſa totius rei narratio habetur apud Evangeliſtas, Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19. quam quod omnibus nota ſit, nihil neceſſe eſt deſcribere.

2. *Dei Filium Ieſum tertia die à mortuis reſurrexiſſe.*

Vide & Act.2.24. 31. & 10. 48. & 11. 30. & 17. 31. Rom. 4. 25. & 6 4. & 8. 8,31. & 14 9. 2. Tim. 2. 8.

1. *Cor.* 15. 3. 4. Tradidi vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.

Hæc Domini reſurrectio fuſe habetur deſcripta apud Matthæum c.28. Marc.16. Luc.24. Ioan.20.

3. *Dei Filium Ieſum aſcendiſſe in cœlos, ibique ſumma cum poteſtate & gloria regnare.*

Vide etiam Epheſ 4, 10. Phil. 2 9, 10. 11. Heb. 2 9.

Res ipſa narratur Marc.16.19. Luc.24.51. fuſius Act.1.9.

Epheſ. 1. 20. 21. 22. *Deus Pater* ſuſcitavit *Chriſtum* à mortuis, & conſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

1. *Petr.* 3. 22. Ieſus Chriſtus eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, ſubjectis

ctis ſibi Angelis, & poteſtatibus & virtutibus.

1.*Cor.*15.25. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus, noviſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus.

4. *Ieſum Dei Filium noviſſimo die venturum ad judicandum mundum.*

*Matth.*16.27. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.

Act. 10.42. *Ieſus* præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.

2. *Theſſ.* 1. 6.7.8.9.10. Iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Ieſu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.

Vid. etiã Matth. 24. 30. Luc. 17. 24. 30. & 21. 27. Act. 1. 11. & 17. 31. Roman. 2. 16. 1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 5. 10. 1. Theſſ. 4. 16. 1. Pet. 4. 5. Apocal. 20. 1. 12. 13.

2. *Tim.* 4. 1. Ieſus Chriſtus judicaturus eſt vivos & mortuos.

5. *Dei Filium pro peccatis noſtris mortuum, noſque mortem pro nobis*

H 2 perpeſ-

perpessum redemisse.

1.*Pet.* 3. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.

Vide & Rom. 4. 25. Gal. 8.4.

Isai. 53. 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

Gal. 3. 13. Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno.

Vide & Eph. 1. 7. Col. 1. 14. Hebr. 9. 12 Apoc. 5. 9.

Rom. 3. 25. *Christum Iesum* proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.

1. *Tim.* 2. 5. Vnus Deus: unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.

Vide & Matth. 20. 28.

1. *Pet.* 1. 18. 19. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.

Vide & Act. 20. 28.

Rom. 5. 8. Commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.

Rom. 8. 32. *Deus* etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Vide & Luc. 22. 19. Ioan. 10. 11. 15. & 11. 51. 52 2. Cor. 5, 15 Gal. 2. 20 Hebr. 2. 9 1. Pet. 2. 21. & 4

Ephes.

Ephes.5.2. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. 1. 1.Ioan, 3. 16.

Tit.2.14. *Iesus Christus* dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

1.Petr.2.24. Peccata nostra ipse (*Christus*) pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. Vide & Hebr. 13. Ioan, 1. 29. 1. Ioā. 1. 7.

Hebr.9. 28. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

2.Cor.5.21. *Deus eum,* qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

Isai.53. 4. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. *Ibid.vers.6.* Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, *Ibid.vers.11.* 12. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.

6. *Domini disciplinam in fide & caritate sitam esse.*

1.Ioan.3.23. Hoc est mandatum Dei, ut

credamus in nomine Filii ejus Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

CAP. VI.

De hominis peccatoris justificatione per Dei gratiam ex fide; deque fidei natura & ingenio.

1. *Deum Sacrificio sibi in morte Filii oblato placatum atque propitiatum omnes in ipsum credentes, in gratiã suam suscipere, peccataque iis condonare, eosque perinde habere quasi nunquam peccassent,*

Ioan. 3. 18. Qui credit in *Iesum Christum*, non judicabitur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Ioan. 5. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audivit, & credit ei, qui misit me habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam,

Ioan, 6. 40. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

Roman. 3. 21. Nunc sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis; justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes,

mnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.

*Roman.*4.5. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. *Ibid. verſ.* 22. 23. 24. *de Abraham*: Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam (*quod credidit ſcilicet*) Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam, ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis.

*Rom.*10. 9.10. Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Vide & Rom.5.1

*Epheſ.*2. 8.9.10. Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis (Dei enim donum eſt) non ex operibus, ut nequis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

2. *Cor.*5. 19. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.

1. *Ian.* 1. 9. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis pec-

cata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.

1. *Ioan.*2. 1. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

2. *Qui Deum vere cognoſcunt in ipſum credentes, eos ſanctificationi & bonis operibus ſtudere.*

*Iac.*2. 26. Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt.

Vid. etiã Gal.5.24 1.*Ioan.*2.3. In hoc ſcimus, quod cognovimus eum (*Deum & Chriſtum*) ſi mandata ejus obſervemus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.

Idem ſic demonſtratur. I. *Quisquis ex Deo natus eſt, is ſanctitati, & bonis operibus ſtudet.* 1. *Ioan.*3. 10. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.

Omnis *autem,* qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, 1.*Ioan.*5.1.

Ergo quiſquis credit Ieſum eſſe Chriſtum, is ſanctitati & bonis operibus ſtudet.

II. *Quisquis vitam æternam habebit, is ſanctificatus eſt; ut patet ex Apoſtoli dicto, Hebr.* 12.14. Sine ſanctimonia nemo videbit Deum.

Sed quisquis credit, is vitam æternam habebit

*Ioan.*3.

Io.an.3.16.18. & 5.24. *& aliis locis supra descriptis, &c.*

Ergo quisquis credit, is sanctificatus est.

CAP. VII.

De fidelium sanctificatione, ac præcipuis ejus partibus, pietate nimirum, caritate, humilitate, humanitate, castitate, justitia, veritate, &c.

1. *Fideles debere Deum summe diligere, supremaque adoratione colere.*

Matth. 22.37.38. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, Hoc est maximum & primum mandatum. Deut.6.5. Luc.10.27.

Matth. 4.10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Rom. 12.1. Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

2. *Omnes proximos sincero, atque ardenti animi affectu diligendos esse.*

Matth. 22.39. Secundum (*mandatum*) simile est huic (*primo*) Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

Matth. 5.43.44.45. Audistis, quia dictum

est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis; Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

*Rom.*12. 9. Dilectio sine simulatione (*esto*) odio habentes malum, adhærentes bono, charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes.

*Ioan.*4. 7.8. Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit non novit Deum: quoniam caritas est.

3. *Honorandos esse superiores.*

Col.3.20 *Ephes.* 6. 1.2.3. Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene
Col.3.22. sit tibi, & sis longævus super terram. *Ibidem vers.* 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri; sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.

*Rom.*13. 7.8. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

norem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit.

4. *Fideles à cædibus, contumeliis, injuriis, & ab omni in proximum odio puros esse debere.*

Matth.5. 21.22. Audistis, quia dictum est antiquis; Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Eph.4. 31.32. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.

5. *Cavendum ab omni carnis immunditia, atque impuritate.*

Matth.5. 27.28. Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo,

Ephes.5. 3. Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, &c. Col.3. 5.

1. Thess.

1. Cor. 6. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 1. *Theſſ.* 4. 3. 4. 5. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos á fornicatione, & ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.

6. *A furto abſtinendum: Vnicuique in vocatione ſua laborandum.*

Eph. 4. 28. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.

2. *Theſſ.* 3. 10. Cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam ſiquis non vult, operari nec manducet.

7. *Cavendum mendacium, & calumniam; & ſectandam in omnibus dictis, factisque veritatem.*

Eph. 4. 25. Deponentes mendacium loquimini veritatem vnusquiſque cum proximo ſuo; quoniam ſumus invicem membra.

Col. 3. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum.

8. *Iis poteſtatibus, in quarum civitate & ditione vivimus, ſubjici, & parere humiliter, neceſſe eſſe ex Dei diſciplina.*

Matth. 22.21. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo.

*Rom.*13. 1.2.5. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, &c. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

9. *Breviter ac uno verbo, ſancte atque honeſte vivendum.*

*Rom.*12. 2. Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona & bene placens & perfecta.

*Epheſ.*4. 22. 23. 24. Veritas eſt in Ieſu deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Vid. etiā Col. 3. 1. 2.3.4.5.

*Phil.*4.8.9. 1 De cætero, fratres, quæcumq; ſunt vera, quæcumq; pudica, quæcumq; juſta, quæcũq; ſancta, quæcumq; amabilia, quæcumq; bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplina, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite.

*Tit.*2. 11.12.13.14. Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens

nos,

nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

10. *Hanc vitæ sanctimoniam ad salutem Christi obtinendam esse necessariam.*

Vide & Ioan. 3. 2.

Matth. 5. 20. Dico vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Roman. 8. 13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Ephes. 5. Hebr. 12. 14. Gal. 6. 7. 8.

1. *Cor.* 6. 9. 10. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

CAP. VIII.

De fidelium inter se communione ac societate, deque ejus colendæ ac fovendæ necessariis mediis, ordine sacri ministerii, & disciplinæ.

1. *Præ cæteris diligendos esse fideles.*

*Ioan.*13. 34. 35. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. 1. Ioan. 3. 11. & 4. 11 1. Pet 3. 8. Heb. 13. 3. Matth. 18. 6. 10.

*Ioan.*15. 12. 13. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

*Gal.*6. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

1. *Pet.*2. 17. Omnes honorate; fraternitatem diligite.

2. *Fideles debere in unum convenire ad Deum precandum, verbum Dei audiendum: aliaque religionis officia simul peragenda.*

*Hebr.*10. 24. 25. Consideremus invicem in provocationem caritatis & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram (sicut

cut consuetudinis est quibusdam) sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.

Id ipsum ab exemplo Christianorum probatur, qui Apostolorum temporibus vivebant, 1. *Cor.* 11. 20. Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare, &c. *Idem patet ex Domini promissione, Matth.* 18. 20. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

3. *Ecclesiis fidelium singulis suos præesse Pastores, ac præsides debere.*

Rom. 12. 6. 7. 8. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive prophetiam, secundum rationem fidei; sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrina, qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.

1. *Cor.* 12. 27. 28. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.

Tit. 1. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.

Act. 6. *Narratur Diaconorum institutio, eorumque à ministris verbi divini prædicationi ministrantibus distinctio.*

4. *Qui*

4. *Qui presbyterorum sive episcoporum, & aliorum ministrorum mores esse debeant.*

1.*Tim.*3. 1.2.3.*& seqq.* Siquis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Siquis autem domui suę præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum; & sic ministrent, nullum crimen habentes.

Vide & Tit.1. 7. 8. 9.

5. *Pastorum sive presbyterorum, vel episcoporum officia.*

1.*Petr.*5. 1.2.3. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator, pascite, qui in vobis est gregem providentes, non coacte,

ſed ſpontanée ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

2.*Cor*.4.5. Non enim noſmet ipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Ieſum.

2.*Tim*.2.2. Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. *Ibid.verſ*.14. Hæc commone teſtificans coram Domino. *verſ*.15. Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.

2.*Tim*. 4.2. Prædica verbum; inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.

6. *Presbyteratûs, ſive epiſcopatûs dignitas.*

Vide 1. Cor.5.10. 1. *Cor*. 4. 1. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

1.*Tim*.3. 1. Si quis epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat.

7. *Paſtores à fidelibus honorandos, & cum omni obſequio colendos; item alendos.*

Matth. 18.17. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.

Luc.

Luc. 10. 16. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Hoc autem loco Chriſtus, non omnes Chriſtianos, ſed miniſtros ſuos alloquitur.*

Hebr. 13. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis.

1.*Tim.*5. 17. Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et, dignus eſt operarius mercede ſua.

*Gal.*6. 6. Communicet is, qui catechizatur verbo ei qui ſe catechizat in omnibus bonis.

1.*Cor.*9. 13.14. Neſcitis, qnoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. *vide ibidem* verſic.7. 8. 9. 10.

8. *A fidelibus miniſtros rejici debere, qui præter Evangelium annuntiant.*

*Gal.*1. 8.9. Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

1. *Ioan.* 4. 1. Cariſſimi, nolite omni Spiri-

tui credere, ſed probate Spiritus. ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.

2.Ioan. 10.11. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

CAP. IX.

De Sacramentis, Baptiſmo, & Cœna Domini.

1. *Chriſtianos in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti baptizandos eſſe.*

Marc. 16. 6. *Matth.* 28. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.

Obvia ſunt baptiſmi in libris novi teſtamenti exempla, maxime in Actis Apoſtolorum, in quibus baptizatos fuiſſe legimus quicumque Ieſu Chriſti nomen & Evangelium profiteri vellent. Act. 2.38. 41. & 8.12.38. & 9.18. & 10.47. & 16.15.

2. *Baptiſmo peccatorum remiſſionem, & Spiritus Sancti gratiam conferri.*

Marc. 16. 16. 1. Pet. 3. 21. Epheſ. 5. 26. *Act.* 2. 38. Petrus vero ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.

*Rom.*6.3. An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

*Gal.*3. 27. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

*Col.*2. 11.12, In Chriſto & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.

3. *Fideles veſci debere pane, & bibere de calice ſanctificatos ad commemorationem mortis Domini.*

1.*Cor.*11. 23.24.25.26. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem poſtquam cœnavit, dicens; Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. *Item verſic.*27.28. Itaque quicumque manducaverit

Vide etiam Matth. 26.27.28 Marc.14. 22.23.24. Luc. 22. 17. 18. 19. 20

panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.

4. *Sacrum Euchariſtiæ panem, ac calicem communicationem eſſe corporis & ſanguinis Domini.*

1.Cor.10.16.17. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.

CAP. X.

De Spiritu Sancto; cujus illuminatio ad fidem neceſſaria eſt. De ejus natura, ac perſona.

1. *Tantam eſſe hominis nequitiam, ac malignitatem, ut is per ſe ipſum neque ab Apoſtolis prædicatam cœleſtem Domini doctrinam intelligere, vel fide ſuſcipere, neque ex eâ in pietate vitam inſtituere poßit.*

Ioan.3.3. Amen amen dico tibi, Niſi quis fuerit renatus denuo, non poteſt videre regnum Dei.

Ioan.

*Ioan.*6.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

Roman. 8. 7. Sapientia carnis inimica eſt Deo. Legi enim Dei non eſt ſubjecta; nec enim poteſt.

1.*Cor.*2. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere; quia ſpiritualiter examinantur.

2. *Spiritum Sanctum eam hominibus gratiam conferre, quâ ii Evangelium intelligunt & credunt, & ex eo vitam instituunt.*

1. *Cor.*2. 7. 8. 9. 10. Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt; quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram; quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; Sed ſicut ſcriptum eſt, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. *Ibid. verſ.*12. Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

*Matth.*11. 25. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.

Matth. 16. 17. Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pa-

ter meus, qui in cœlis eſt.

Ioan. 1. 13. Qui credunt in nomine Filii Dei, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

Actor. 16. 14. Lydiæ purpurariæ civitatis Thyatirenorum Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

Phil. 1. 29. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.

Phil. 2. 13. Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

Ezech. 11. 19. 20. Dabo eis cor unum, & Spiritum novum tribuam in viſceribus eorum; & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea, & ſint mihi in populum, & ſim eis in Deum.

Vide etiam Ierem. 31. 31. & 32. 39.

3. *Spiritum illum Sanctum fidei & lucis datorem, perſonam eſſe à Patre & Filio diſtinctam.*

Ioan. 14. 16. 17. Ego (*inquit Filius Dei*) rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoviſtis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. *Ibid. verſ.* 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine

mine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

Matth. 28.19. Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Idem ex eo manifeſtum eſt, quod Spiritus Sanctus & à Patre procedere, & à Filio mitti dicitur. *Ioan.*15. 26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. *Ioan.* 16. 7. Si abiero, mittam Paracletum ad vos. *Ibid. verſ.*13. 14. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; Non enim loquetur à ſemetipſo; Sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

4. *Spiritum Sanctum eſſe Deum.*

*Act.*5. 3. 4. Dixit autem Petrus; Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? *mox,* Non es mentitus hominibus, ſed Deo.

*Idipſum evidentiſſime ex eo demonſtratur quod quæcumque veri Dei propria ſunt, ea Spiritui Sancto apertiſſime tribuuntur in Scripturis. Ac primo quidem quod ubique præſens ſit. Pſal.*138. (*Heb.* 1.39.) 7.8. Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades.

2. *In omnibus fidelibus præſentia. Rom.*8.9.

Vide etiam 1.Cor.6. 19. Spiritus Dei habitat in vobis. 1.*Cor*.3.16. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 2.*Tim*.1.14. Spiritus Sanctus habitat in nobis.

3. *Omniscientia*. 1. *Cor*. 2. 10. 11. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei; Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. *Ioan*.14.26. Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Sic etiam Ioan*.16.13.

4. *Futurorum præscientia, ac prædictio*. 1. *Tim*.4.1. Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide.

5. *Omnipotentia*. 1.*Cor*.12.2. Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

6. *Templi in nomen ejus consecratio*. 1.*Cor*. 6.19. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?

7. *Vis & potestas creandi*. *Iob*.26.13. Spiritus Dei ornavit cœlos. Iob.33.4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me. *Luc*.1.35. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

Isai 4.54. 13. 8. *Fidelium instructio & eruditio (quod Dei proprium esse opus docet illud Isaiæ ab ipso Domino Ioan*. 6.45. *usurpatum*; Et erunt omnes

docibi-

docibiles Dei) 1 *Cor.*2.12.10. Nobis revelavit Deus per Spiritum ſuum (myſteria ſua ſcilicet) *Ioan.*16.13. Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

9. *Ante mundum conditum exiſtentia.* Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. *Quo loco Moyſes de eo tempore loquitur, quod mundi creationem anteceſſit.*

5. *Spiritum Sanctum eſſe eundem illum Deum, qui in Scripturis* יהוה *DOMINVS dicitur.*

Id manifeſtum eſt. Primo enim cum nullus alius vere Deus ſit præter unum illum DOMINVM (ut eſt à nobis ſupra ex Scripturis demonſtratum) profecto neceſſario concludendum eſt Spiritum Sanctum, qui vere Deus eſt, (ut modo probatum eſt) eſſe ſummum illum DOMINVM.

2. *Qui veteres prioris teſtamenti Prophetas inſtruxit, miſit; afflavit, is vere eſt* יהוה *DOMINVS ille apud Iſraëlem olim cognitus, atque adoratus, ut ex omnibus Prophetarum illorum libris eſt apertiſſimum. Atqui Spiritus Sanctus veteres illos Prophetas inſtruxit, miſit, & afflavit.* 2. *Petr.* 1.21. Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.

*Spiritus eſt (ut ex Act.*1.16. *diſcimus) qui id prædixit, quod apud Davidem legitur, Pſal.* 40. (Hebr.41.) 10. *Spiritus eſt (Act.*28. 25. *) qui per Iſaiam locutus eſt, eaque dicere eum juſſit, quæ Iſai.* 7.9. *leguntur. Spiritus eſt (Hebr.*9.1.8.*) qui Moyſi id mandatum dedit, quod habetur Levitici* 16.2.

Spiritus

Spiritus est (Hebr.10.15.) qui loquitur apud Ieremiam cap.31.32. Denique & Spiritus est (Hebr.3.7.) qui ea, quæ Psal. 94. Hebr. 9 5. 8. legimus, dicit. Ergo Spiritus Sanctus ipsissimus est ille Dominus, quem veteris testamenti fideles colebant.

Atque ita dilucide ex Scripturis probatum est Sacrosanctæ Trinitatis dogma. Tres esse in divinis, Ioannes diserte testatus est; Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. 1. *Ioan.* 5.7. *Sic etiam Matthæus cap.28 29.* Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Hos tres simul quoque eodem loco memorat Paulus,* Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. 2. *Cor.* 13, 13. *In Christi baptismo tres hæ personæ clarissime manifestatæ sunt*; Pater è cœlo clamans; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; *Filius baptismum in assumpta natura suscipiens; Spiritus Sanctus de cœlo in columbæ forma descendens; Matth.3.16.17. Tres autem istas personas unum & eundem esse Deum, patet ex superioribus. Patrem enim verum atque æternum esse Deum, cum ipsum qui olim apud Israëlem colebatur, & omnis Scriptura prædicat, & vel Iesu Christi verba, Ioan.27. 3. luculentissime demonstrant, quo loco Patrem compellans,* Hæc est (*inquit*) vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. *Iam & Filium pariter, & ipsum quoque Spiritum Sanctum illum eundem esse Israelis Deum, rebus necessariis evidenter supra adduximus. Cum ergo (quod ipsum quoque suo loco demonstratum est omnis Scri-*

ptura testetur & clamet æternum illũ Israëlis Dominum, unum solumque Deum esse; omnino necesse est tres illas benedictas, gloriosissimasque personas, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum Sanctum unum esse, ac solum Deum in sæcula benedictum; quæ sacræ Trinitatis *fides vulgo in Ecclesia appellatur.*

CAP. XI.

De divinæ gratiæ efficacia, effectis, & constantia.

I. *Deum Spiritus sui gratiam pro beneplacito homini cui libuerit, indulgere.*

Rom. 9. 15. 16. Miserebor (inquit Dominus) cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Ephes. 1. 5. *Deus* prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.

Philip. 2. 13. Deus est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.

Matth. 11. 25. 26. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.

2. *Venire ad Deum, quos ille Spiritu suo illuminavit.*

Ioan.

*Ioan.*6. 45. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.*

*Rom.*8.29.30. Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.

3. *Deum ſalutem ſuam iis daturum, qui in Chriſtum crediderint, & ſecundum Evangelium vitam inſtituerint.*

*Ioan.*3. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.

*Rom.*8. 1. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundam carnem ambulant. *Vide etiam ibid. verſic.* 13.& 14.

*Ioan.*5.11. 12.13. Hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

4. *Deum eos, qui in Filium crediderint, ſervaturum & conſolaturum.*

Ioan. 14. 16. 18. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum &c. Apud vos manebit,

& in vobis erit. Nos relinquam vos orphanos.

*Matth.*28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

*Ioan.*17.11. Iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio, Pater ſancte. Serva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. *Ibid. verſ.*15. 15. Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. *Tum verſ.*20. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

*Rom.*8.32. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? *Ibid. verſ.* 35. 36. 37. Quis ergo nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? &c. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

1.*Cor.*1. 8. 9. Deus confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Ieſu Chriſti Domini noſtri.

1.*Cor.*10. 13. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

CAP. XII.

De ultimis hominum tum fidelium, tum infidelium finibus.

1. *Deum in suam requiem exeuntes de hoc sæculo fidelium animas colligere, ac suscipere.*

Apoc. 14. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo; Etiam (dicit Spiritus) quoniam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos.

Cor. 5. 1 Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. *Ibid. vers.* 6. 7. 8. Audentes semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

Luc. 16, 22. Factum est, ut moreretur mendicus (*Lazarus*) & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, *ubi consolabatur. vers.* 25.

Luc. 23. 43. Et dixit illi (*Latroni ad Christum in ipsa cruce converso*) Iesus; Amen dico tibi; Hodie mecum eris in paradiso.

2. *Deum novissimo die fideles à mortuis resuscitaturum & in cœlos evecturum,*

ctūrum, ut istic in summa gloria cum Domino Christo vivant & regnent in æternum.

Ioan.6.39. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

Rom.8.11. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

Phil.3.20.21. Nostra conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia

1.Thess.4.13.14.15.16. Si credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventū Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniā ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo; & mortui in Christo οἱ νεκροὶ ἐν χριστῷ resurgent primum. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.

Totum hoc nostræ resurrectionis mysterium fuse ex-

se explicatum, illustratum, & vindicatum ab omni dubitatione habetur. 1. Cor. 15. *toto plane divino.*

3. *Vitam æternam donum esse & charisma, id est gratiam Dei.*

*Rom.*6. 23. Stipendia peccati mors. Τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ Gratia autem (*sive gratuitum donum*) Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

2. *Tim.*1.18. Det illi (*Onesiphoro*) Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die.

4. *Infideles & impœnitentes in æternum perituros:*

2.*Thess.*1. 7. 8. 9.10. Revelabitur Dominus Iesus de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.

*Apocal.*21. 8. Timidis & incredulis, & execratis, & homicidis & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure; quod est mors secunda.

PARS

PARS TERTIA.

EX

SCRIPTVRIS PROBANTVR NEGATIVA Confeſſionis noſtræ capita; quibus ſcilicet fide noſtra excluſa ſunt dogmata præter Dei Verbum à Romanæ communionis hominibus invecta, & conſtituta.

CAP. I.

Fidei, adeoque Religionis noſtræ antiquitas, univerſalitas, & perſpicuitas. Vnde orta ſit noſtra cum Romanis controverſia.

ATQVE ita fidem noſtram ex Scripturis demonſtravimus. Teſtimonia, quibus ad eam rem uſi ſumus, clara ſunt, & quidem plæraque diſerta, atque propria; quæ tam in Romanis, quam in Genevenſibus ſacrorum Bibliorum

versionibus leguntur; quæ uno omnes Christiani consensu Orientales, Occidentales, Australes, Boreales jam inde à primis Ecclesiæ sæculis ad hæc usque tempora in suis codicibus agnoscunt, ac retinent. Nullam divinis vocibus vim attulimus; neque cœlestes veritatis fontes turbavimus; neque Ebraïcarum vocalium, aut Græcanicorum accentuum minutias in rem nostram detorsimus. Si quando argumentati sumus, rationum, quas adhibuimus, nexus ita firmus fuit, ut ejus necessitatem vel pueri sentire queant. Neque veo obscurum est communia omnium vere Christianorum esse, hæc, quæ ex Scripturis probare studuimus, capita. Illa & olim veteres in Symbolis, ac Synodis suis vel exposuerant, vel definiverant; & nunc etiam, post tantas in religione factas mutationes, retinent tamen recentiores. Illa omnes Christiani orbis plagæ acceperunt, illa ne ipsa quidem Roma explosit; sed ea nobiscum credere se, atque venerari profitetur. Nobis soli de istis Sabellii, & Samosateni: Soli Arii & Photini, soli Manichæi & Pelagii, soli Nestorii, & Eutychetes, & alii ejusdem commatis controversiam faciunt; ac ne de omnibus quidem omnes; sed de quibusdam singuli, hæretici, ut vel ipsa nomina indicant, totius Ecclesiæ anathematis ante multa sæcula confixi, ac fulminati. Horum probationes nemo nisi istius generis, edi à nobis flagitat. Cæteri omnia nobiscum una fide suscipiunt, ac confitentur. Vnde, ut obiter hoc dicam, apparet, quam sit impudens

pudens

pudens eorum Sycophantia, qui religionem noſtram vel nouam ac recentem, vel privatam ac ſingularem eſſe criminantur. His enim, quibus illa conſtat, definitionibus, quid eſt apud Chriſtianos vel antiquius, vel (ut ſic dicam) univerſalius? Negari non poteſt, quin eas & Catholica omnium ſæculorum Eccleſia ſemper docuerit, & ipſa nunc etiam Roma profiteatur. Si quid veteres opinati ſint, quod ego non credam; de eo alibi quærendum eſt, atque diſpiciendum primo an id (quodcumque tandem ſit) fuerit ab Ieſu Chriſto revelatum, & ab ejus Apoſtolis traditum; tum ſi verum eſt, an & ſic neceſſarium ſit, ut niſi credatur, ſalus haberi non poſſit. Illa vero, quibus mea fides conſtat, illa, quæ nuper ex Scripturis demonſtravimus, palam eſt hujuſmodi eſſe, de quibus omnes veri tum veteres, tum recentiores Chriſtiani conſentiunt. Vnde liquet eos omnes fidem ac religionem meam probare, & ſequi hactenus, tametſi ego illorum de omnibus opiniones fortaſſe non probem. Nihil credo, quod illi non credant. Fieri poteſt, ut non omnibus aſſentiar, quæ illi credunt. Atque hæc ipſiſſima eſt noſtræ cum Romanæ communionis hominibus cauſſæ ratio. Hi enim profitentur quidem ſe iſta, quæ modo expoſuimus, credere. Omnis vero quæ nobis de religione eſt cum iis controverſia ex aliis non paucis doctrinæ capitibus orta eſt; quæ illi ſtatuunt, nobiſque invitis credenda obtrudunt; nos conſtanter repudiamus. Tota hæc lis in hoc uno verſatur. Vn-

 de qui-

de quivis facile intelligere poteſt, quam iniqua ſit Methodicorum Sophiſtarum importunitas, qui nos ex diſertis Scripturæ teſtimoniis ea fidei noſtræ capita probare jubent, quæ controverſa ſunt. Controverſa enim ſunt, non meæ, ſed tuæ fidei capita. Quæritur enim, non, *an Deus ſit adorandus*, quæ mea eſt fides, ſed, *an adoranda ſit hoſtia*, quæ tua definitio eſt. Quæritur, non, *an Mediator noſter ſit Chriſtus Ieſus*, vel, *an ejus in cruce morientis oblatio Sacrificium ſit*; quod utrumque agnoſcit fides mea; ſed, *an Sancti homines cœlo recepti Mediatores noſtri ſint*, & *an altarium veſtrorum quæ dicitur oblatio verum ac proprie dictum Sacrificium ſit*; quod utrumque fides tua ſtatuit. Quæritur, non, *an invocandus ſit Deus*, vel *ſperanda cœleſtis cum Chriſto vita*, vel *gehenna metuenda*; quæ fidei meæ totidem capita ſunt; ſed, *an invocandi ſint ſancti mortui*, & *an ignis purgatorius poſt obitum timendus*; quæ fidei veſtræ decreta ſunt. Fidei ergo demonſtrationem, tu tuæ mihi debes; ego meæ tibi non debeo; quando in omni recta, ac legitime inſtituta diſputatione ea probanda ac demonſtranda eſſe patet, non quæ confeſſa ſunt (is enim labor eſſet ſupervacaneus) ſed quæ controverſa. Nos tamen tibi morem geſſimus: neque laborem licet alioqui minime neceſſarium) defugimus, quo tuæ importunitati ſatis fieret. Fidem enim noſtram ex Scripturis demonſtravimus. Nunc videamus, an æque tibi facile futurum ſit tuam ex iiſdem probare, quæ una eſt, ſi bene reputes

omnium

omnium controverſiarum, quæ inter nos agitantur, materia.

CAP. II.

Exponuntur præcipua Romanæ communionis dogmata; quæ quidem nos à noſtra fide excluſimus, atque abjecimus.

VLtro enim, & ex animo profitemur à fide noſtra abhorrere, quod vos docetis, *mundi Servatorem Chriſtum Ieſum præterquam quod ſemel in cruce mactatus eſt, quotidie apud aras veſtras immolari, vereq; ac proprie ſub panis & vini ſpeciebus Deo in Sacrificium ad expianda hominum peccata offerri*; quodque ad hanc rem ſtatuitis *Sanctiſſimum Ieſu Chriſti corpus, quod in cœlis ſumma in gloria verſatur, ſimul quoque hic in terris ſub conſecratis panis & vini ſpeciebus realiter, ac ſubſtantialiter exiſtere. in unaquaque ſpecierum illarum particula totum, atque integrum, panis & vini ſubſtantia in corporis & ſanguinis Dominici ſubſtantiam mutata*; quodque inde concluditis *omnes Chriſti fideles ex pietatis officio teneri latriæ cultum, qui vero Deo debetur, illi veſtro Sacramento in veneratione exhibere.*

Sed & illud ex fide noſtra abjicimus, quod in veſtra extat *quorundam fidelium animas, licet Chriſti ſanguine, qui emũdat nos ab omni peccato ablutas, atque expiatas, flãmis neſcio quibus ſubterraneis purgari, in quodam loco, cui exinde purga-*

torii nomen dedistis. Neque vero id, quod vos omni ratione contenditis admittere, aut concedere possumus *peccatores admissorum veniam ac remissionem à Deo impetrare, non solum per fidem* (quæ nostra est, imo & vestra fides) *sed etiam ex operibus*; quorum tantam esse dignitatem vestri Theologi vulgo docent, ut ea & gratiæ augmentum, & vitam ipsam æternam ex condigno mereri defendant.

Neque illa sane, quæ vos item inter Christianæ fidei capita retulistis, ferre possumus; *præter summum rerum parentem, ac Dominum Deum, quem omnes adoramus, colendos quoque esse religiose Sanctos vita hac mortali functos, neque eo tantum amore, ac honore prosequendos, quem nos iis, veluti fidelissimis Dei servis, nunc in cœlesti gloria constitutis, deberi ultro confitemur, sed præterea invocandos, & precandos, sic ut ipsorum opematque auxilium adversus utriusq; vitæ & corporalis & spiritualis, pericula imploremus; ad hæc sacris eorum, Christiq; etiam, ac Patris & Spiritus Sancti imaginibus certam quamdam religiosæ venerationis speciem esse exhibendam, in hoc sitam, ut eas salutemus, & osculemur, & nudato capite, prostratóque etiam corpore, & accensis cereis & sertis, corollisque, & thure atque aliis donis honoremus.*

Id v. etiam repudiamus, ac refugimus, quod vos severissime atq; accuratissimè inprimis decernitis *Romæ vestræ Episcopũ totius, quæ in mundo est, Catholicæ Ecclesiæ, præter Dominũ Christum, caput esse, ac Spõsum; in omnes universi gregis Dominici Pastores, atque episcopos, in ipsas etiam eorum*

rùm Synodos jus ac potestatem summam habere ; & in fidei rebus tanta esse luce, ut in iis definiendis errare, aut labi nunquam possit. Itaque neque vobis assentimur , exinde jubentibus *fidelium conscientias iis legibus* obstrictas teneri , quas ille pro suo imperio de diebus festis celebrandis , deque certorum ciborum abstinentia tulit.

Religionis vero ministros cœlibes vivere, & conjugio, quod *in omnibus honorabile* esse affirmat Apostolus , abstinere, quod vos exserte imperatis , nos non necessarium , sed liberum ac solutum esse putamus ; abundeque sufficere, si iis Christi servi dotibus præditi sint, quas Paulus tum priore ad Timotheum epistola, tum alibi in iis requirit. Heb. 13. 4. 1. Tim. 3

Baptismi ,& Eucharistiæ instituta à Domino Sacramenta satis esse, credimus ; neque eo numero , ac loco habere possumus quinque illa, quæ vos in Ecclesia Christiana hoc nomine censetis , *Confirmationem*, *Pœnitentiam*, *extremam unctionem*, *Ordinem*, *& Matrimonium*. Neque quod vos jubetis , id putamus esse necessarium, ut unusquisque fidelis antequam ad sacram Domini mensam accedat, presbytero in aurem sua omnia delicta sigillatim pandat, ac confiteatur, una cum eorum circumstantiis. Id enim satis esse existimamus , quod à Paulo præceptum est, *ut probet se ipsum homo , & sic de pane illo edat , & de calice bibat.* 1. Cor. 11. 28.

Neque hæc postremo , quæ & ipsa quoque Romanæ Curiæ sunt, probamus , vel admittimus : Clericos vestros à Principum sæcula-

rium, in quorum ditione vivunt, jurisdictione ac potestate esse divino jure immunes; vel Reges & Principes Christianos episcopo illi vestro urbico, aut alicui ministro Ecclesiastico, sive directe, sive indirecte, in temporalibus subjici.

Hæc sunt non quidem omnia, sed tamen nobilissima, & maxime capitalia, Romanę fidei decreta, quæ nos aspernamur, atq; explodimus. Nunc quã brevissime fieri poterit, expendamꝰ, ac videamus, an ea in divinis Scripturis extent. Si Methodicorum insaniam sequi liberet, res uno verbo confici posset. Nam si quod isti sanciunt, consequentiæ fallaces, & incerta ac dubia omnis ratiocinatio; Si quod iidem volunt, nihil pro Scripturæ dogmate habendum est, nisi quod totidem verbis, syllabisque & apicibus in ea legitur; apparet nullum istorum capitum, quæ ex fide nostra exclusimus, ex Scriptura probari, ac constitui posse: Neque enim ullum istorum est, quod in divinis libris proprie, diserteque, & iis ipsis verbis, ac literis expressum legatur, quibus in Romana fide auditur. Quæ si ita se haberent, nihil nobis hoc in opere addendum superesset, suscepto labore jam defunctis. Cum enim nobis Scriptura unicum sit fidei principium, ita plenum, ac undequaque perfectum, ut quicquam in religionem induci nefas censeamus, quod non ex divinis illis libris legitime demonstretur; quando ex istis capitibus, quæ à Romanis posita, ac decreta sunt, nullum in Scripturæ codicibus φυτολεξει legitur (qua una ratione dogmata ex Scri-

Scripturis demonſtrari poſſe contendunt Methodici) nunc ex his conſequens eſt, ut (quod unum erat hujus operis penſum) fides mea luculentiſſime ex Scripturis demonſtrata atque conſtituta ſit, in quibus ea quidem, quæ credo, extare: quæ non credo, non extare probatum eſt. Sed abſit, ut adverſariorum Sophiſtica in rem noſtram utendum, vel fruendum putemus. Nos vero qui ſupra fuſe confutavimus, futiliaque & vana eſſe demonſtravimus, quæ Methodici de ratiocinationis incertitudine, & ad fidem faciendam inefficacitate blaterant: pro vera, germanaque Scripturarum doctrina conſtanter eam ſuſcipiemus, atque habebimus quæcumque ex iis legitime, hoc eſt dilucide, ac neceſſario concluſa fuerit. Ergo bona fide, ac ut inter bonos agi decet, cum adverſariis agamus; & illud nunc videamus, an quę in Scripruris non leguntur eorum dogmata, ex iis aliqua idonea, legitimaque argumentatione ſaltem deduci, ac colligi poſſint. Non alias afferemus eorum probationes, quam quæ validiſſimæ cenſentur; miſſis cæteris, quæ tametſi à nonnullis illarum partium ſcriptoribus uſurpatæ fuerint, & in his diſputationibus, ſunt tamen re vera adeo leves, & (ſi verum licet dicere) adeo abſurdæ, & alienæ, ut hominum non tam vigilantium ratiocinationes, quam ſtertentium ſomnia videantur. Quid enim chartam, & otium perdere, neceſſe eſt in eorum verbi gratia deſcribendis, refellendiſque ineptiis, qui tam ſtulti ſunt, ut urbici epiſcopi monarchiam concludant ex his Chriſti ad Pe- Luc. 5.4.
trum

trum verbis, *Duc in altum?* purgatorii vero fabulam ex his Davidis vocibus constituant,
Psal. 130. (Latin. 129.) 1. *De profundis clamavi ad te Domine?* clericalis cœlibatus necessitatem ex his Pauli demonstrent', *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt?*
Rom. 8. 8. Imaginum venerationem inde eruant,
Genes. 1. 27. quod scriptum sit, *Creávit Deus hominem ad imaginem suam*, & similia sexcenta? Profecto si hujus farinæ essent omnes ratiocinationis consequentiæ, omniaque mentis humanæ opera, confiterer equidem totum id genus ab istorum Methodicis merito irrideri atque explodi. Ea duntaxat, quoad quidem à nobis fieri poterit, argumenta referemus, quæ speciem, vel saltem umbram aliquam rationis habere videntur; tametsi ea ipsa nemo qui attenderit, non facile intelliget vera ratione carere; quod nos cum bono Deo planum facturos confidimus.

CAP. III.

Minime doceri in Dei Scripturis Romanæ missæ Sacrificium.

ILli ergo, ut ab eo ordiamur, quod supra est à nobis primo loco positum, ut suā missam *veri nominis Sacrificium esse probent ad remissionem peccatorum oblatum*, id in primis afferunt, quod in Genesi legimus, *panem &* vinum obtulisse Melchisedecum, qui eximiis Domini
Gen. 14. Christi typus fuit, Ego hujus argumenti ullam vere esse consequentiam nego. Primo enim

nim & Hebræi fontes, & Latinus ipse istorum interpres habent Melchisedecum, non quod isti ajunt, *obtulisse*, sed *protulisse panem & vinum.* Tum omnes loci circumstantiæ eo nos ducunt, ut prolatum ab eo panem, & vinum intelligamus, non ad sacrificandum Deo (de quo nihil dicit Moyses) sed ad Abrahamum, & comites reficiendos, qui ex prælio, & itinere, quod supra narratum est, fessi, ac defatigati erant: humanitate ejus gemina, qua in re simili postea usum in Davidem legimus Berzellai Galaaditem. Sed & si vicerint (quod numquam profecto vincent) Melchisedecum, non Abrahamo in cibum, sed Deo in sacrificium panem illum, & vinum obtulisse; unde docebunt Sacrificium illud, ad remissionem peccatorum oblatum fuisse (quæ nulla erat *sine sanguinis effusione*) ac non potius ad laudem, & gratiarum actionem? Tertio denique si & hoc (quod numquam legitima ulla ratione conficient) ab adversarii liberalitate impetraverint, illam scilicet Melchisedecanam panis & vini oblationem ad obtinendam peccatorum remissionem pertinuisse; qui tandem illud, quod postremum ac præcipuum est, probabunt, ea Eucharistiam (quæ in novi fœderis libris *Sacrificium* numquam dicitur) adumbratam, figuratamque fuisse, ac non potius Domini Christi mortem, quæ & apud universas Scripturas, & apud omnes Christianas Ecclesias verissimum Sacrificium habetur, in quo ad expianda generis humani peccata Christus Pa-

מוציא profe-rens.

2. Sam. 17. 28.

Hebr. 9. 22.

versionibus leguntur; quæ uno omnes Christiani consensu Orientales, Occidentales, Australes, Boreales jam inde à primis Ecclesiæ sæculis ad hæc usque tempora in suis codicibus agnoscunt, ac retinent. Nullam divinis vocibus vim attulimus; neque cœlestes veritatis fontes turbavimus; neque Ebraïcarum vocalium, aut Græcanicorum accentuum minutias in rem nostram detorsimus. Si quando argumentati sumus, rationum, quas adhibuimus, nexus ita firmus fuit, ut ejus necessitatem vel pueri sentire queant. Neque veo obscurum est communia omnium vere Christianorum esse, hæc, quæ ex Scripturis probare studuimus, capita. Illa & olim veteres in Symbolis, ac Synodis suis vel exposuerant, vel definiverant; & nunc etiam, post tantas in religione factas mutationes, retinent tamen recentiores. Illa omnes Christiani orbis plagæ acceperunt, illa ne ipsa quidem Roma explosit; sed ea nobiscum credere se, atque venerari profitetur. Nobis soli de istis Sabellii, & Samosateni: Soli Arii & Photini, soli Manichæi & Pelagii, soli Nestorii, & Eutychetes, & alii ejusdem commatis controversiam faciunt; ac ne de omnibus quidem omnes; sed de quibusdam singuli, hæretici, ut vel ipsa nomina indicant, totius Ecclesiæ anathematis ante multa sæcula confixi, ac fulminati. Horum probationes nemo nisi istius generis, edi à nobis flagitat. Cæteri omnia nobiscum una fide suscipiunt, ac confitentur. Vnde, ut obiter hoc dicam, apparet, quam sit impudens

pudens eorum Sycophantia, qui religionem noſtram vel nouam ac recentem, vel privatam ac ſingularem eſſe criminantur. His enim, quibus illa conſtat, definitionibus, quid eſt apud Chriſtianos vel antiquius, vel (ut ſic dicam) univerſalius? Negari non poteſt, quin eas & Catholica omnium ſæculorum Eccleſia ſemper docuerit, & ipſa nunc etiam Roma profiteatur. Si quid veteres opinati ſint, quod ego non credam; de eo alibi quærendum eſt, atque diſpiciendum primo an id (quodcumque tandem ſit) fuerit ab Ieſu Chriſto revelatum, & ab ejus Apoſtolis traditum; tum ſi verum eſt, an & ſic neceſſarium ſit, ut niſi credatur, ſalus haberi non poſſit. Illa vero, quibus mea fides conſtat, illa, quæ nuper ex Scripturis demonſtravimus, palam eſt hujuſmodi eſſe, de quibus omnes veri tum veteres, tum recentiores Chriſtiani conſentiunt. Vnde liquet eos omnes fidem ac religionem meam probare, & ſequi hactenus, tametſi ego illorum de omnibus opiniones fortaſſe non probem. Nihil credo, quod illi non credant. Fieri poteſt, ut non omnibus aſſentiar, quæ illi credunt. Atque hæc ipſiſſima eſt noſtræ cum Romanæ communionis hominibus cauſſæ ratio. Hi enim profitentur quidem ſe iſta, quæ modo expoſuimus, credere. Omnis vero quæ nobis de religione eſt cum iis controverſia ex aliis non paucis doctrinæ capitibus orta eſt; quæ illi ſtatuunt, nobiſque invitis credenda obtrudunt; nos conſtanter repudiamus. Tota hæc lis in hoc uno verſatur. Vn-

de quivis facile intelligere poteſt, quam iniqua ſit Methodicorum Sophiſtarum importunitas, qui nos ex diſertis Scripturæ teſtimoniis ea fidei noſtræ capita probare jubent, quæ controverſa ſunt. Controverſa enim ſunt, non meæ, ſed tuæ fidei capita. Quæritur enim, non, *an Deus ſit adorandus*, quæ mea eſt fides, ſed, *an adoranda ſit hoſtia*, quæ tua definitio eſt. Quæritur, non, *an Mediator noſter ſit Chriſtus Ieſus*, vel, *an ejus in cruce morientis oblatio Sacrificium ſit*; quod utrumque agnoſcit fides mea; ſed, *an Sancti homines cælo recepti Mediatores noſtri ſint*, & *an altarium veſtrorum quæ dicitur oblatio verum ac proprie dictum Sacrificium ſit*; quod utrumque fides tua ſtatuit. Quæritur, non, *an invocandus ſit Deus*, vel *ſperanda cæleſtis cum Chriſto vita*, vel *gehenna metuenda*; quæ fidei meæ totidem capita ſunt; ſed, *an invocandi ſint ſancti mortui*, & *an ignis purgatorius poſt obitum timendus*; quæ fidei veſtræ decreta ſunt. Fidei ergo demonſtrationem, tu tuæ mihi debes; ego meæ tibi non debeo; quando in omni recta, ac legitime inſtituta diſputatione ea probanda ac demonſtranda eſſe patet, non quæ confeſſa ſunt (is enim labor eſſet ſupervacaneus) ſed quæ controverſa. Nos tamen tibi morem geſſimus: neque laborem licet alioqui minime neceſſarium) defugimus, quo tuæ importunitati ſatis fieret. Fidem enim noſtram ex Scripturis demonſtravimus. Nunc videamus, an æque tibi facile futurum ſit tuam ex iiſdem probare, quæ una eſt, ſi bene reputes

omnium

omnium controversiarum, quæ inter nos agitantur, materia.

CAP. II.

Exponuntur præcipua Romanæ communionis dogmata; quæ quidem nos à nostra fide exclusimus, atque abjecimus.

VLtro enim, & ex animo profitemur à fide nostra abhorrere, quod vos docetis, *mundi Servatorem Christum Iesum præterquam quod semel in cruce mactatus est, quotidie apud aras vestras immolari, vereq; ac proprie sub panis & vini speciebus Deo in Sacrificium ad expianda hominum peccata offerri*; quodque ad hanc rem statuitis *Sanctissimum Iesu Christi corpus, quod in cœlis summa in gloria versatur, simul quoque hic in terris sub consecratis panis & vini speciebus realiter, ac substantialiter existere. in unaquaque specierum illarum particula totum, atque integrum, panis & vini substantiâ in corporis & sanguinis Dominici substantiam mutata*; quodque inde concluditis *omnes Christi fideles ex pietatis officio teneri latriæ cultum, qui vero Deo debetur, illi vestro Sacramento in veneratione exhibere.*

Sed & illud ex fide nostra abjicimus, quod in vestra extat *quorundam fidelium animas, licet Christi sanguine, qui emũdat nos ab omni peccato ablutas, atque expiatas, flãmis nescio quibus subterraneis purgari, in quodam loco, cui exinde purga-*

torii nomen dedistis. Neque vero id, quod vos omni ratione contenditis admittere, aut concedere possumus *peccatores admissorum veniam ac remißionem à Deo impetrare, non solum per fidem* (quæ nostra est, imo & vestra fides) *sed etiam ex operibus*; quorum tantam esse dignitatem vestri Theologi vulgo docent, ut ea & gratiæ augmentum, & vitam ipsam æternam ex condigno mereri defendant.

Neque illa sane, quæ vos item inter Christianæ fidei capita retulistis, ferre possumus; *præter summum rerum parentem, ac Dominum Deum, quem omnes adoramus, colendos quoque esse religiose Sanctos vita hac mortali functos, neque eo tantum amore, ac honore prosequendos, quem nos iis, veluti fidelißimis Dei servis, nunc in cœlesti gloria constitutis, deberi ultro confitemur, sed præterea invocandos, & precandos, sic ut ipsorum opematque auxilium adversus utriusq; vitæ & corporalis & spiritualis, pericula imploremus; ad hæc sacris eorum, Christiq; etiam, ac Patris & Spiritus Sancti imaginibus certam quamdam religiosæ venerationis speciem esse exhibendam, in hoc sitam, ut eas salutemus, & osculemur, & nudato capite, prostratóque etiam corpore, & accensis cereis & sertis, corollisque, & thure atque aliis donis honoremus.*

Id v. etiam repudiamus, ac refugimus, quod vos severissime atq; accuratissimè inprimis decernitis *Romæ vestræ Episcopũ totius, quæ in mundo est, Catholicæ Ecclesiæ, præter Dominũ Christum, caput esse, ac Spõsum; in omnes universi gregis Dominici Pastores, atque episcopos, in ipsas etiam eo-*

rum

rum Synodos jus ac potestatem summam habere; & in fidei rebus tanta esse luce, ut in iis definiendis errare, aut labi nunquam possit. Itaque neque vobis assentimur, exinde jubentibus *fidelium conscientias iis legibus* obstrictas teneri, quas ille pro suo imperio de diebus festis celebrandis, deque certorum ciborum abstinentia tulit.

Religionis vero ministros cœlibes vivere, & conjugio, quod *in omnibus honorabile* esse affirmat Apostolus, abstinere, quod vos exserte imperatis, nos non necessarium, sed liberum ac solutum esse putamus; abundeque sufficere, si iis Christi servi dotibus præditi sint, quas Paulus tum priore ad Timotheum epistola, tum alibi in iis requirit. Heb.13.4 1. Tim. 3

Baptismi, & Eucharistiæ instituta à Domino Sacramenta satis esse, credimus; neque eo numero, ac loco habere possumus quinque illa, quæ vos in Ecclesia Christiana hoc nomine censetis, *Confirmationem, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium.* Neque quod vos jubetis, id putamus esse necessarium, ut unusquisque fidelis antequam ad sacram Domini mensam accedat, presbytero in aurem sua omnia delicta sigillatim pandat, ac confiteatur, una cum eorum circumstantiis. Id enim satis esse existimamus, quod à Paulo præceptum est, *ut probet se i sum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Cor. 11. 28.

Neque hæc postremo, quæ & ipsa quoque Romanæ Curiæ sunt, probamus, vel admittimus: Clericos vestros à Principum sæcula-

rium, in quorum ditione vivunt, jurisdictione ac potestate esse divino jure immunes; vel Reges & Principes Christianos episcopo illi vestro urbico, aut alicui ministro Ecclesiastico, sive directe, sive indirecte, in temporalibus subjici.

Hæc sunt non quidem omnia, sed tamen nobilissima, & maxime capitalia, Romanę fidei decreta, quæ nos aspernamur, atq; explodimus. Nunc quã brevissime fieri poterit, expendamꝰ, ac videamus, an ea in divinis Scripturis extent. Si Methodicorum insaniam sequi liberet, res uno verbo confici posset. Nam si quod isti sanciunt, consequentiæ fallaces, & incerta ac dubia omnis ratiocinatio; Si quod iidem volunt, nihil pro Scripturæ dogmate habendum est, nisi quod totidem verbis, syllabisque & apicibus in ea legitur; apparet nullum istorum capitum, quæ ex fide nostra exclusimus, ex Scriptura probari, ac constitui posse: Neque enim ullum istorum est, quod in divinis libris proprie, diserteque, & iis ipsis verbis, ac literis expressum legatur, quibus in Romana fide auditur. Quæ si ita se haberent, nihil nobis hoc in opere addendum superesset, suscepto labore jam defunctis. Cum enim nobis Scriptura unicum sit fidei principium, ita plenum, ac undequaque perfectum, ut quicquam in religionem induci nefas censeamus, quod non ex divinis illis libris legitime demonstretur; quando ex istis capitibus, quæ à Romanis posita, ac decreta sunt, nullum in Scripturæ codicibus φυτολεξεὶ legitur (qua una ratione dogmata ex Scri-

Scripturis demonſtrari poſſe contendunt Methodici) nunc ex his conſequens eſt, ut (quod unum erat hujus operis penſum) fides mea luculentiſſime ex Scripturis demonſtrata atque conſtituta ſit, in quibus ea quidem, quæ credo, extare: quæ non credo, non extare probatum eſt. Sed abſit, ut adverſariorum Sophiſtica in rem noſtram utendum, vel fruendum putemus. Nos vero qui ſupra fuſe confutavimus, futiliaque & vana eſſe demonſtravimus, quæ Methodici de ratiocinationis incertitudine, & ad fidem faciendam inefficacitate blaterant: pro vera, germanaque Scripturarum doctrina conſtanter eam ſuſcipiemus, atque habebimus quæcumque ex iis legitime, hoc eſt dilucide, ac neceſſario concluſa fuerit. Ergo bona fide, ac ut inter bonos agi decet, cum adverſariis agamus; & illud nunc videamus, an quę in Scripturis non leguntur eorum dogmata, ex iis aliqua idonea, legitimaque argumentatione ſaltem deduci, ac colligi poſſint. Non alias afferemus eorum probationes, quam quæ validiſſimæ cenſentur; miſſis cæteris, quæ tametſi à nonnullis illarum partium ſcriptoribus uſurpatæ fuerint, & in his diſputationibus, ſunt tamen re vera adeo leves, & (ſi verum licet dicere) adeo abſurdæ, & alienæ, ut hominum non tam vigilantium ratiocinationes, quam ſtertentium ſomnia videantur. Quid enim chartam, & otium perdere, neceſſe eſt in eorum verbi gratia deſcribendis, refellendiſque ineptiis, qui tam ſtulti ſunt, ut urbici epiſcopi monarchiam concludant ex his Chriſti ad Pe- Luc. 5.4.

trum

trum verbis, *Duc in altum?* purgatorii vero fabulam ex his Davidis vocibus constituant, *De profundis clamavi ad te Domine?* clericalis cœlibatus necessitatem ex his Pauli demonstrent, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt?* Imaginum venerationem inde eruant, quod scriptum sit, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, & similia sexcenta? Profecto si hujus farinæ essent omnes ratiocinationis consequentiæ, omniaque mentis humanæ opera, confiterer equidem totum id genus ab istorum Methodicis merito irrideri atque explodi. Ea duntaxat, quoad quidem à nobis fieri poterit, argumenta referemus, quæ speciem, vel saltem umbram aliquam rationis habere videntur; tametsi ea ipsa nemo qui attenderit, non facile intelliget vera ratione carere; quod nos cum bono Deo planum facturos confidimus.

Psal. 130. (Latin. 129.) 1.

Rom. 8. 8.

Genes. 1. 27.

CAP. III.

Minime doceri in Dei Scripturis Romanæ missæ Sacrificium.

ILli ergo, ut ab eo ordiamur, quod supra est à nobis primo loco positum, ut suá missam *veri nominis Sacrificium esse probent ad remissionem peccatorum oblatum*, id in primis afferunt, quod in Genesi legimus, *panem &* vinum obtulisse Melchisedecum, qui eximius Domini Christi typus fuit, Ego hujus argumenti ullam vere esse consequentiam nego. Primo enim

Gen. 14.

nim & Hebræi fontes, & Latinus ipse istorum interpres habent Melchisedecum, non quod isti ajunt, *obtulisse*, sed *protulisse panem & vinum.* Tum omnes loci circumstantiæ eo nos ducunt, ut prolatum ab eo panem, & vinum intelligamus, non ad sacrificandum Deo (de quo nihil dicit Moyses) sed ad Abrahamum, & comites reficiendos, qui ex prælio, & itinere, quod supra narratum est, fessi, ac defatigati erant: humanitate ejus gemina, qua in re simili postea usum in Davidem legimus Berzellai Galaaditem. Sed & si vicerint (quod numquam profecto vincent) Melchisedecum, non Abrahamo in cibum, sed Deo in sacrificium panem illum, & vinum obtulisse; unde docebunt Sacrificium illud, ad remissionem peccatorum oblatum fuisse; quæ nulla erat *sine sanguinis effusione*) ac non potius ad laudem, & gratiarum actionem? Tertio denique si & hoc (quod numquam legitima ulla ratione conficient) ab adversarii liberalitate impetraverint, illam scilicet Melchisedecanam panis & vini oblationem ad obtinendam peccatorum remissionem pertinuisse; qui tandem illud, quod postremum ac præcipuum est, probabunt, eâ Eucharistiam (quæ in novi fœderis libris *Sacrificium* numquam dicitur) adumbratam, figuratamque fuisse, ac non potius Domini Christi mortem, quæ & apud universas Scripturas, & apud omnes Christianas Ecclesias verissimum Sacrificium habetur, in quo ad expianda generis humani peccata Christus Pa-

מוציא proferens.

2 Sam. 17. 28.

Hebr. 9. 22.

tri,

tri, *verus, vivusque ex cœlo missus panis*, vero ac summo Deo oblatus est?

Secundo: Malachiam veterem Prophetam citant, qui novi fœderis tempora prædicens, testatur *in omni loco oblatum iri Domino oblationem mundam.* Hanc scilicet Eucharistiam esse volunt. Primo si id ipsum donavero: qua arte hinc conficient proprie dictum esse Sacrificium? ad consequendam peccatorum remissionem comparatum? Quæ sacram Domini cœnam necessario comitantur gratiarum actiones, à quibus ipsa *Eucharistiæ* nomen nacta est, quid- ni *munda oblatio* dicantur; quę Deo pro acceptis beneficiis offertur, in laudem ejus scilicet, non tamen ad merendam peccatorum remissionem? Certe, & eleemosynæ, & preces, & ipsa Evangelii prædicatio, *Sacrificia* à divinis Scriptoribus vocantur; neque tamen adversarii hæc, quæ sic dicuntur, *Sacrificia* ejus generis esse contendunt, cujus est

Hebr. 13. 15. 16. Roman. 15. 16.

si eis credimus, Christianorum Eucharistia. Tum, quid necesse est illam Malachiæ *mundam oblationem* de Eucharistia propriè, ac præcise accipere? Prophetæ mens clara est Dei cultum, non, ut antea, Sionis monti, vel uni Israëlis genti affixum, in orbem totum *ab ortu Solis usque ad occasum* apud omnes populos longe, lateque, Messiæ temporibus diffusum iri. Veteres enim illi Scriptores ad ea describenda quæ in Messiæ Ecclesia olim futura cernebant, sui temporis & res & voces passim usurpant. Sic Isaias, ut gentes veri Dei nomen cultumque

Isai. 2. 3.

Evangelicum professuras significet, ait *eas ascen-*

suras

ſuras ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, id eſt ad templum Hieroſolymitanum. Chriſtus ipſe hanc dicendi ſpeciem ſequitur, & Eccleſiæ in futuro ſæculo ſtatum iis verbis deſcribit, quæ huic noſtro proprie conveniunt, dum ait *multos ab Oriente & Occidente profectos, recubituros cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum.* Matth. 8. 11. Ita ergo Malachias *oblationis* nomine hoc loco utitur. Quæ proprie pars erat cultus ſuo tempore in Eccleſia ſolennis, atque uſitati, eam transfert ad Evangelicum cultum ſignificandum, qui veteri erat olim ſub Meſſia ſucceſſurus; Ac ut eum clarius indicaret, *oblationem* dixit non ſimpliciter, ſed *mundam*, non ut olim, craſſam & carnalem, adipe, oleo, ſimila, pecudumque ſanguine, & cæteris id genus conſtantem; ſed veram, atque ſpiritualem; plane in eo cultu ſitam, quem intelligit Paulus, dum & nos Chriſtianos, quos Iudæis opponit, ait *Spiritu ſervire Deo*, Pſal. 3. 3. & ſe ipſum *Deo ſervire in Spiritu ſuo in Evangelio Chriſti* profitetur; Rom. 1. 9. & hujus cultus idem alibi ſuam ipſam prædicationem partem fuiſſe demonſtrat, quo loco ait ſe ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, id eſt *Evangelium Dei ſacrificare*, ut oblatio Gentium Rom. 15. 16. fieret *accepta, ſanctificata per Spiritum Sanctum.* Denique totum illum cultum, quem ut Malachias *mundum*, ſic ipſe *rationalem*; vel rationabilem eodem modo, eaſdemque ob cauſas vocat, luculentiſſime in eadem epiſtola eo conſtare ait, *ut exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Rom. 12. 1 Idem quod Malachias multis poſt eum temporibus prædixit

dixit Christus, cum res in eo esset, ut propediem impleretur, *Venit hora, inquit, quando veri*
Ioan. 4. 23. 21. *adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*; non *in monte* Guerizim, ut Patriarchæ, neque *in Ierosolymis*, ut Iudęi, sed *in omni loco*; quod ajebat Propheta. Ex horum locorum comparatione, videre est *puram* Malachiæ *oblationem* nihil aliud esse, quam Christi *adorationem in spiritu, & veritate*, & Pauli *exhibitionem corporum nostrorum in hostiam viventem*, & *cultum* siue *obsequium*, vel *servitium nostrum in spiritu*; quæ omnia quantùm à Missa Romana absint omnes satis intelligunt.

Tertio ex novi Testamenti libris afferunt Christum, Euchariſtiam instituentem, dixisse discipulis, *Hoc facite*; *facere* autem sæpe idem esse, quod sacrificare. Sed nihil nos cogit eo sensu id verbum hoc loco accipere. *Hoc facite* ad eam actionem referendum est, de qua loquutus erat Christus; Loquutus autem erat non de *Sacrificio* (de quo ne μῦ quidem dixerat) sed de esu panis, & *potu* calicis à se porrecti. Postquam enim panem, & calicem sanctificatum iis cum his verbis tradidit, *Accipite &*
a 1. Cor. 11. 24. *manducate*; [a] item, *Bibite ex eo omnes*; [b]
b Matth. 22. 27. tum ista adjecit, *Hoc facite in meam commemorationem.* [c] item, *Hoc facite, quotiescùmque bi-*
c 1. Cor. 11. 24. *betis in meam commemorationem.* [d] Ergo caussa dici non potest, cur *hoc facite* non ad illa
d 1. Cor. 11. 25. ibid. vers. 26. proxime præcedentia referatur, idemque sit, quod, *manducate hunc panem*; *bibite ex hoc poculo.* Paulus, ut hæc ita interpretemur, præivit, dum istis Domini verbis, quæ modo descripsi,

ſcripſi, recitatis, *Hoc facite quotiescũque bibetis in meam cõmemorationem*, continenter addit, *Quotiescũque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec, veniat.* Hujus verſiculi cum ſuperiore nexus clariſſime oſtendit *hoc facere* quod priore loco dictũ eſt, idẽ eſſe, quod *mãducare panem hunc & hũc calicẽ bibere*, quę poſteriore à Paulo adjecta ſunt.

IV. Illud quoq; urgent, quod Chriſtus apud Lucam Euchariſticum *calicẽ* ait pro *nobis fundi*; unde concludunt calicem illum Sacrificiũ eſſe ad promerendam nobis peccatorũ remiſſionẽ. Reſpondeo primo; etiamſi illa Domini apud Lucam verba non aliter poſſent exponi, quã de poculo ſanctificato, ne ſic quidẽ neceſſario concluſum iri Euchariſtiã Sacrificium eſſe proprie dictum. Certe neq; nos quicquam vetat dicere *aquã ſancti baptiſmi pro iis fundi*, qui illo Sacramento initiantur. Ideo-ne concluſeris *baptiſmũ* Sacrificiũ eſſe propriè dictũ? Multa pro nobis fiunt, quæ nequaquam Sacrificia ſunt. Calix euchariſticus nemo dubitat, quin nobis utilis ſit & ſalutaris quem Paulus docet, *communicationẽ eſſe ſanguinis Chriſti*, adeoq; & gratiæ, & remiſſionis peccatorum, quæ ſanctiſſimo illo ſanguine continetur. Hæc ſatis ſunt, ut is calix *pro nobis fundi* appoſito, congruoque ſenſu dicatur; neque eum neceſſe eſt in Sacrificium transformari, ut Chriſtus ita de eo loqui vere ac convenienter potuerit. Sed & aliter hanc locutionem exponere liceret, ſi ea Chriſtus uſus eſſet. Cum enim hic calix Dominici ſanguinis in cruce ad peccatorum noſtrorũ expiationem vere effuſi Symbolum, ſive Sacramentum ſit;

Luc. 22. 20.

1. Cor. 10. 16.

nemo mirari deberet, si Christus *calicem pro nobis fundi* dixisset: quod perpetuus Scripturæ mos sit Sacramentis ea tribuere, quæ proprie sunt rerum, quarum ipsa Sacramenta sunt; unde est, quod Paulus *petram*, è qua Israëlitæ in deserto biberunt, *Christum ipsum fuisse*, non dubitavit scribere. Secundo: nego Lucæ verba eo, quo ab adversariis accipiuntur, sensu esse intelligenda. Ipsum eorum dogma, ipse interpres Latinus, cujus sacrosanctam auctoritatem esse Tridentina Synodus decrevit, aliter hæc interpretari cogunt: Dogma, inquam. Nam si calix Eucharisticus *funditur pro nobis*, cum *calicis* nomine Christi sanguinem, qui calice continetur, significari velint; fatendum erit Christi sanguinem in Eucharistia fundi: quod recta, ut quivis videt, pugnat & cum eo, quod Christi corpus impassibile & gloriosum nunc esse confitentur, & cum eo, quod diserte docent atque pronuntiant *Eucharistiam Sacrificium esse incruentum*, Christumque in *ea immolari absque sanguinis effusione*. Latinus vero interpres Lucæ verba sic reddidit; *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hic cum verbum *fundetur* in futuro tempore usurpavit, clarissime ostendit fusionem illam, non calici, sed Christi sanguini esse tribuendam, qui paulo post in cruce fundendus erat scilicet; calix vero, si fusus fuit, ipso illo momento, quo Dominus loquebatur, fundebatur. Itaque *fusio*, non ad calicem, sed ad sanguinem Domini referenda est, totusque locus sic reddendus,

1. Cor. 10. 4.

Sess. 4.

Concil. Trident. Sess. 22. c.2,

Luc. 22 20.

Hoc

Hoc poculum est novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur. Neque objiciendum est in Græco codice participium ἐκχυνόμενον, quod est nominativi casus, cum nomine τῷ αἵματι, quod est dativi, construi non posse. Constructionem enim hujusmodi, etsi confitear in vulgari Græcæ linguæ usu incongruam, & insolentem esse, tamen apud sacros novi testamenti Scriptores esse non infrequentem & contendo, & exemplis doceo. Ita in Apocalypsi legimus; ἀπέθανε τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ τὰ ἔχοντα ψυχάς, ubi participium ἔχοντα quod in nominandi casu ipsum quoque est cum nomine κτισμάτων, quod in gignendi casu est, tametsi casu minime conveniat, construi tamen & necesse & evidens est; ut sit sensus, *mortua est tertia pars creaturarum, quæ erant in mari habentes animas;* sive ut habet Latinus, *mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari.* Ejusdem est generis, quod alibi in eodem libro occurrit, ἀπὸ Ἰησοῦ χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς; ubi nominativus μάρτυς cum genitivis Ἰησοῦ χριστοῦ, quamquam casu discrepat, construitur tamen necessario; *& a Iesu Christo, qui testis est fidelis*: quod nemo interpretum negat. Qui Græcè sciunt alia non pauca divinorum librorum loca observare facile possunt, in quibus nomina, participiaque tametsi vel casu, vel numero diversa, una tamen construuntur. Videant, si placet, hujusmodi constructionis exempla Luc. v.9. & IX. 53. & Ioan. XXI. 12. & 5. Ioan. IV. 3. & Marc. XII. 38. 40. & Apoc. III. 12. 21.

Apoc. 8. 9.

Apoc. 1. 5.

12. 21. & 1. Tim. IV. 1. 2. Nihil ergo vetat, quo-minus hoc quoque loco neglectis severioris Grammatices canonibus, nominativus participii ἐκχυνόμενον cum dativo nominis αἵματι construatur; non autem cum nominativo ποτήριον, à quo etsi casu conveniat, sensu tamen ipso abhorret, atque locus ita reddatur, ut eum exhibuimus, quasi scriptum esset. ἐν τῷ αἵματί μου τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, quo sane modo Lucæ verba Basilius recitat, ubi ea in Defin. 21 Ethicis definitionibus refert, non autem, quod in nostris codicibus constanter legitur, ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

Quinto. Id quoque objectant adversarii, quod Paulus in priori ad Corinthios epistola 1. Cor. 10. 17. 18. 21. Domini mensam cum veterum Hebræorum altari, & cum profanis Paganorum aris comparat, sic n. videri eum volunt statuere Eucharistiã *verum ac proprie dictum Sacramentum esse*, cujusmodi illa erant, quæ in Hebræorum & Gentilium altaribus offerebantur. Sed ista quidem vis est. Quod si eam comparationem, quam istic Paulus instituit, ita urgere ac tendere placet: ergo & hoc quoque inde sequetur, Eucharistiam Sacrificium esse cruentum; qualia scilicet fuerunt illa Hebræorum, & Gentilium sacrificia, quibus eo loco comparari à Paulo dicitur. Planum est, & ex ipso loco manifestum Paulum, non Hebræorum, Gentiliumque sacerdotum victimas immolantium opus, atque ministerium cum Evangelicorum presbyterorum Eucharistiæ benedicentium opere, & ministerio, sed Christianorum fidelium

lium panem, & calicem Dominicæ menſæ ſumentium actum, cum Hebræorum, Gentiliumque carnibus apud ſua altaria mactatis, atque oblatis veſcentium actu comparare, atque contendere; atque hactenus quidem comparare, quod ut hoc ſuo actu Hebræi, Gentilesque palam teſtabantur, ac veluti profitebantur ſe ejus altaris, ad quod erant immolatæ ex hoſtiæ, quas ipſi edebant, ejuſque numinis, cui erant immolatæ, participes eſſe; ſic etiam illum Chriſtianorum apud Dominicam menſam veſcentium actum ſolenne quoddam Symbolum eſſe ejus, quam ipſi cum Domino Chriſto habent, communionis, ſacræque illius qua gaudent, Dominici corporis ſanguiniſque participationis. Itaque cum fieri nequaquam poſſit, ut quis ſimul ac ſemel & Chriſti, & dæmoniorum particeps ſit, merito concludit Apoſtolus. Idolothytorum eſum à vera Chriſtianiſmi profeſſione plane, penituſque abhorrere; *Non poteſtis* (inquit) *menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Huc uſque, non ultra, tendenda eſt Apoſtoli diſputatio. 1. Cor. 10. 21

Sexto. Poſtremo denique Sacrificium ſuum ex divino illo altari conſtituere conantur, quod *habere nos* affirmat Paulus; *de quo edere* idem *poteſtatem habere* negat *eos, qui tabernaculo deſerviunt.* Sed ipſæ loci circumſtantiæ loquuntur, & vero fatentur celeberrimi quique adverſariorum * Scriptores Apoſtolum iſtic de myſtico Eccleſiæ altari loqui, quod eſt Chriſtus Ieſus, idem & ſacerdos & altare, & victima, a cujus virtute, efficacitate, ac vita alieni Heb 13. 10. Nicol de Lyra, Thomas Gagnæus

ſunt ii, qui in Moſis umbris, & in terreſtris
Levitit. 16. 17. ſanctuarii cultu adhuc hærent, qualiter olim
ſub veteri teſtamento victimis pro peccato cæ-
ſis eos veſci nefas erat, qui Moſaïci tabernaculi
miniſterio ſerviebant.

CAP. IV.

Nuſquam doceri in Scripturis, quam adverſarii in fidei ſuæ capita retulerunt Euchariſtici panis transſubſtantiationem.

ITa apparet nuſquam eſſe in Dei Scripturis traditum miſſæ, quod vocant, Sacrificium; idque ut nuſquam diſerte legitur in divinis libris; ita neque ex iis ulla ratiocinatione concludi poſſe.

Nunc videamus, an fœlicius ex ſacris litteris argumententur mirificam illam, planeque prodigioſam, quam in Euchariſtiæ Sacramento fieri decernunt ſancti panis in Domini corpus converſionem, ſive, (ut rem novam, atque abſurdam novo & barbaro vocabulo indigetandam recte ſane atque appoſite cenſuerunt) *tranſſubſtantiationem*. Eam imprimis ex ipſis illis verbis concludere conantur, quæ Dominus Euchariſtiam inſtituens pronuntiavit. Ac-
Matth. 26. 26. cepto enim pane, & benedicto, dixit, *Hoc eſt*
Marc. 14. 22. *corpus meum*. Inde negant manere panis ſub-
Luc. 22. 19. ſtantiam; quæ ſi maneret ſcilicet *corpus Chriſti* dici non poſſet. Sed quæ obſecro eſt, iſtius

conſecu-

consecutionis necessitas? Paulus de Ecclesia id ipsum dixit, quod Christus ait de Eucharistia; *Ecclesiam nempe Christi corpus esse*; Idem Corinthios fideles *Corpus Christi* esse exerte affirmat. Nemo tamen ex his concludit priorem vel *Ecclesiæ*, vel *Corinthiorum fidelium substantiam* desiisse, vel non eandem, quæ fuerat, mansisse. Idem Apostolus ait *corpora nostra membra esse Christi*; neque tamen quisquam quod sciam, hactenus repertus est, qui sic desiperet, ut hinc *corporum nostrorum substantiam mutatam fuisse*, colligeret. Quid ergo causæ est, cur Eucharistiam ex eo quod itidem *corpus Christi esse* dicitur, panem esse desiisse, priorem que substantiam amisisse concludamus? Nullam esse argumenti necessitatem fatetur ipse Cajetanus, vir apud adversarios & Cardinalitia dignitate, & summis ingenii dotibus, & librorum, quos edidit, tum multitudine, tum eruditione ac subtilitate, in paucis conspicuus; *Non apparet* (inquit) *ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba proprie*. Scotus idē sensit, vel Bellarmino teste: Idem, ut apparet secuti sunt plurimi tum vetustiores Scholastici, tum recentiores earumdem partium Theologi. * Neque est, quod quis objiciat Christum non simpliciter dixisse, *hoc est corpus meum*, sed illa etiam, quæ aliter quam de proprio ejus corpore intelligi non possunt, adjecisse, *quod pro vobis tradetur*. *Ex subjunctis siquidem verbis* (inquit Cajetanus) *scilicet*, quod, pro vobis tradetur in remissionem peccatorum, *evidenter concludi non potest præmissa verba*

1. Cor. 12. 24.

Ephes. 1. 23.

1. Cor. 6. 15. & 12. 27.

in Thom q 75. a 1. Scot. in 4. d. 11. q. 1. Bellar. de Euch. l 3. c. 23.

* Vide Durau. d in 4. d. 11, q. 4 art. 14. Ockam. in 4. q 6. Alliaco in 4. q, 6. art. 2.

Baſſolis 4. d. 11. q. 3. Biel. lect. 40.

intelligenda eſſe proprie; quoniam ly quod non refert conjunctionem prædicati cum ſubjecto, ſed refert prædicatum, ſcilicet corpus meum, cum cujus relationis veritate ſtat præjacentem eſſe veram ſolum in ſenſu methaphorico; ut patet in exemplo, Petra autem erat Chriſtus. *Si enim adjunxiſſet Apoſtolus*, qui crucifixus eſt, reſurrexit, aſcendit ad cœlos, *dicendo*, Petra autem erat Chriſtus, qui crucifixus eſt, &c. *Nihilominus præjacens illa propoſitio*, Petra autem erat Chriſtus, *non proprie, ſed mataphorice intelligenda eſſet. Et ſimiliter in propoſito verba Domini*, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, *ex illa additione*, quod pro vobis tradetur, *non arctatur prima propoſitio ad ſenſum proprium, ſed eſſet etiam vera, ſi in ſolo ſenſu metaphorico eſſet prolata.* Hactenus Cajetanus. Ex his ergo Chriſti Domini verbis illud unum legitime, neceſſarioque concludi poteſt. *Euchariſticum panem corporis Dominici myſterium, Sacramentum, ac monimentum, &* μνημόσυνον *eſſe*, quod & nos una cnm Chriſtianis omnibus credimus, atque confitemur, & Chriſtus ipſe ſtatim iis, quæ adjecit, verbis innuit, ac ſignificavit, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Hoc facite in meam commemorationem*; plane, ut ex Pauli verbis, *Eccleſia eſt corpus Chriſti*, nihil aliud valide concludi poteſt, niſi *Eccleſiam eſſe Dominici corporis myſterium*, hoc eſt Domini corpus eſſe, non *naturale*, ſed *myſticum*, ut vulgo Theologi loqui ſolent. Novi enim teſtamenti Scriptoribus ſolenne eſt *ſigno rei ſignificatæ, imagini rei repræſentatæ nomen tribuere*,

* phraſi

phrasi, ut apparet, ducta ex V. Testamẽti libris, in quib⁹ id genus locutionis passim obviũ est. * Matth. 13 37. 38 39. 1. Cor 10 4. Apoc. 1. 10 & 17. 9 13.

Secundo. Illa Christi apud Lucam jam in superiori de Sacrificio disputatione recitata verba iterum hic reponunt; *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ex quibus *calicem*, hoc est id, quod calice continetur, ipsum vere Domini sanguinem, non autem vinum esse concludunt; quia id, quod hoc loco de calice dicitur, *eum pro nobis fundi*, Christi sanguini verissime convenit, vino autem nequaquam convenit. Domini enim sanguinem pro nobis fusum omnes fatentur: vinum pro nobis fundi nemo dixerit. Sed argumentationem nihil valere, ex iis quæ paulo ante diximus, satis patet. Demonstravimus enim participium ἐκχυνόμενον, *qui funditur*, ad Domini sanguinem pro nobis verissime, ac (ut loquuntur) realiter in cruce fusum, non autem ad calicem, referendum esse; quantumvis diversus sit utriusque vocabuli in Græco codice casus. Sed & illud pariter ostendimus, etiamsi daretur (quod nequaquam est concedendum) Christum dixisse *id quod in calice est, pro nobis fundi*; non ideo tamen consequens futurum, ut aliud esse, quam vinum, putemus, id quod calice continetur; cum nihil vetet dici *aquam baptismalem pro iis fundi, qui ea tinguntur*; tametsi omnes confiteantur nullam in aqua baptismali fieri transsubstantiationem.

* Gen. 17. 10. & 40. 12. & 41. 27. Exod. 12. 11. Iud. 7. 14. 2 Sam. 12. 7 Ezech. 37. 51. Dan. 2. 38 & 4. 19. & 7. 24.

Tertio. Pauli verba hæc recitant, *Calix, qui benedicimus, nonne communicatio sanguinis*

1. Cor. 10. 16. *Christi est? & panis, quam frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* Ex his colligunt pane illo, & calice sacro Christi nobis corpus & sanguinem communicari; negant autem communicari aliter posse, nisi & corpus & sanguis Christi vere ac (ut loquũtur) *substantialiter* pani & calici insint. Sed hæc consecutio inepta est, ac tantum non ridicula. Nam ex his Pauli verbis, non modo non sequitur, quod isti volunt, panem sacrum desiisse esse panem; sed plane contra valide, perspicueque ex iis sequitur eum adhuc vere panem esse, etiam post peractam benedictionem; Diserte enim ait Apostolus *eum panem, quem frangimus, esse communicationem corporis Christi*; quemadmodum ex eo, quod altero post hunc versiculo ait, *qui edunt hostias, eos participes esse altaris*, evidenter sequitur *hostias*, quarum esu isti ac altaris participes fiebant, non in altaris substantiam fuisse mutatas (quod absurdissimum, stultissimum est) sed vere hostias fuisse, substantiâ ab altari diversas. Ac ut inepta, & nugatoria esset hæc oratio, *qui edunt hostias participes sunt altaris*, si unum idemque re & substantia essent & hostiæ, & altare) id enim si ita esset, nihil aliud significaret illa oratio, nisi eos *altaris esse participes, qui altare edunt*) ita absurda quoque ac frigida, verique & sapientis sensus inanis erit illa Apostoli propositio, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est* si verum esse, quod isti fingunt, statuamus, nempe panem istum re, & substantia ipsa nihil aliud esse,

1. Cor. 10. 18.

quam

quam ipſum Domini corpus. Id enim ſi ita eſſet, Paulina propoſitio hoc unum ſignificaret, *corpus Chriſti communicationem eſſe corporis Chriſti*; quod quam commode, quamque ſapienter dici poſſit, quamque ſit Apoſtolico ore dignum, vel ipſi adverſarii viderint. Vt ergo Hebræorum hoſtias edentibus altare, in quo immolatæ fuerant, communicabatur (diſerte enim affirmat Apoſtolus, qui *hoſtias* edunt κοινωνὺς τῦ θυσιαςηρίυ εἶναι *communicatores altaris eſſe*) ita tamen ut hoſtiæ neque in altaris ſubſtantiam mutarentur, neque ſuam amitterent; ſic etiam pane caliceque Euchariſtico veſcentibus corpus & ſanguis Chriſti, quorum illa Sacramenta ſunt, communicantur (ait enim Apoſtolus, & quidem eodem vocabulo in utraque comparationis parte utens, panem & calicem eſſe *corporis & ſanguinis Chriſti* κοινωνίαν *communicationem*) ſed ita tamen, ut panis & calix neque in corporis ſanguiniſque Dominici ſubſtantiam convertantur, neque ſuæ jacturam ullam faciant. Ac ut apud Hebræos, qui hoſtias edebant ideo *altari communicare* κοινωνοὶ εἶναι ſive *altaris participes eſſe* dicebantur, non quod ipſam altaris ſubſtantiam vel ederent, vel etiam corpore tangerent, ſed quod eſu illo ſacro virtutis, ac ſanctificationis, qua altare pollebat, participes fierent; ita qui apud nos Euchariſticum panem edunt, & calicem bibunt *corpori & ſanguini Chriſti communicant*, ſive *utriuſque participes* κοινωνοὶ ſunt, non quod divini illius corporis ſubſtantiam & molem ipſam vel edant, vel ore & ventriculo contin-

contingant (quæ profecto ſunt & dictu & cogitatu abſurdiſſima, ac pęne horrenda) ſed quod cœleſtis virtutis, atque efficaciæ, quæ corpori & ſanguini Domini pro nobis ad redemptionem noſtram ineſt, divino munere participes fiant.

Quarto. Sed adverſarii alia quædam ejuſdem Apoſtoli ex ſequenti capite de Euchariſtia verba vehementer urgent; *Quicumque*
1.Cor 11. 27.29. (inquit) *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Tum altero poſt hunc verſu; *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Negant hæc conſiſtere poſſe, niſi ſtatuamus corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia *realiter* (ut loquuntur) adeſſe. Aliter enim cur qui indigne Euchariſtiam ſumunt, *rei corporis Dominici*; Item *non dijuditare corpus Domini* dicerentur? Primo eo iſti peccant, quod non concludunt, id quod quæritur. Quæritur enim *an panis & vini ſubſtantia mutetur*; Hi concludunt *in Euchariſtia realiter adeſſe corpus & ſanguinem Domini.* Atqui etiam non mutata panis vinique ſubſtantia, poſſent in Euchariſtia adeſſe Domini corpus & ſanguis. Atque hæc quidem Apoſtoli verbi adeo non probant id, quod ipſe *panem hunc, & calicem Domini* nominat, idem re & ſubſtantia eſſe cum ipſo Domini corpore & ſanguine; vt plane contra evidenter ſtruant, ac (ut in Scholis loquuntur) *ſupponāt* iſta inter ſe diverſa eſſe. Nam ſi *hic panis, qui*

indigne

indigne manducatur, ipſiſſimum eſſet Domini Ieſu corpus; frigida & inepta eſſet illa Apoſtoli oratio. *Qui panem hunc indigne manducat, reus eſt corporis Chriſti; neque dijudicat corpus Chriſti*; quæ nempe hoc ſignificaret, *qui corpus Chriſti manducat indigne, eum corporis Chriſti reum eſſe, neque corpus Chriſti dijudicare*; qui ſenſus friget, vixque poteſt inani & puerili battologia, purgari. Secundo, ſed & hoc ipſum, quod hinc concludunt, præterquam quod id non eſt, quod quæritur, nego præterea recte hinc concludi. Qui enim baptiſmum ſuſcipit indigne (ut exempli cauſa Simon Magus) is Chriſtum contumelia afficit; ejuſque reus eſt; neque tamen hinc quiſquam concluſerit ipſam Chriſti ſubſtantiam in baptiſmo præſentem adeſſe *realiter*. *Qui voluntarie poſt acceptam notitiam veritatis peccant ii Filium conculcant, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducunt.* Nemo tamen ideo dixerit ſub iſtorum nebulonum pedibus *realiter* adeſſe præſentem vel *Dei Filium*, quem *conculcare* dicuntur, vel ejus *ſanguinem*, quem *pollutum ducunt*. *Qui Apoſtolos ſpernebat, is Chriſtum Ieſum ſpernebat, qui vero accipit ſi quem ille miſerit, ipſum accipit.* Et tamen omnes fatentur ipſam Chriſti ſubſtantiam, neque fuiſſe in Apoſtolis, neque in iis eſſe, quos ille miſerit. *Qui peccant in fratres, & conſcientiam eorum infirmam percutiunt, ii in Chriſtum peccant.* Neque tamen ideo quiſquam pertendit in hujuſmodi fratrum vel perſonis, vel conſcientiis *realiter* ineſſe præſentem Chriſti Domini ſubſtantiam.

Hebr. 10. 29. Luc. 10. 16. Ioan. 13. 20. Matth. 18. 5. 1. Cor. 8. 12.

Quæ

Quæ ergo ratio eſt, cur ex his, quæ à Paulo ſimiliter, ac plane eodem modo dicta ſunt, qui *Eucharistiam* ſcilicet *indigne ſumpſerit eum corporis Domini reum eſſe, neque id dijudicare*, quiſquam concludendum putet Chriſti corpus & ſanguinem ſua ſubſtantia in Euchariſtico pane caliceque realiter ineſſe? Quis non intelligit Chriſto injuriam, contumeliamque eo ipſo fieri, quod qui ejus ſunt, ſpernuntur ac rejiciuntur, vel contemnuntur quæ ab illo inſtituta ſunt, & ad ipſum referuntur ac pertinent? Non aliter, quam Princeps pulſari, atque lædi ipſe cenſetur, ſi ejus vel legati, vel ſigilla, vel inſignia, vel effigies contemnuntur, atque violantur? Quod Euchariſtia *Chriſti Sacramentum eſt, quod corporis ac ſanguinis ejus communicatio eſt, & mortis monimentum* (quod nos ex animo confitemur) id vero abunde eſt, ut *quicumque eam indigne ſumpſerit*, eum intelligamus *corporis Domini reum eſſe & corpus Domini non dijudicaſſe*, ut nihil ideo neceſſe ſit ſtatuere cum adverſariis illius corporis ac ſanguinis ſubſtantiam Euchariſtiæ realiter adeſſe præſentem.

Quinto. Poſtremo divinum illum Chriſti de ſua carne ſermonem, qui apud Ioannem eſt, huc quoque invitum torquent; *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*; & cætera, quæ ad verſiculum 59. ſequuntur. Sumunt in primis Dominum de Euchariſtia toto hoc loco verba facere; ex quo ita poſito Euchari-

Ioan. 6. 51. & ſequentib.

charistiam concludunt, non panis, vinique, sed corporis ac sanguinis Dominici substantiam esse. Sed hac tota argumentatione vix quicquam futilius fingi potest, quæ & id quod dubium, falsoq; propius est, sumit, & male colligit; quibus vitiis nulla sunt in ratiocinatione crassiora. Christum, quod primo sumunt, sexto illo Ioannis capite de Eucharistia loqui, id ex loco ipso nusquam apparet, quo toto plane nulla fit hujus Sacramenti mentio. Non pauca istic sunt, neque levia, quæ contrarium suadent. Nam quæ illic à Christo sui, suæque carnis manducatio memoratur, ea est ad salutem necessario efficax, quam secum indivulso nexu conjunctam sic habet, ut nemo ita manducet, qui non salvetur. *Si quis ex hoc* (in- Ioan.6.
quit) *pane manducaverit non morietur. Si* 50.52,
quis mandaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit 55. 57.
meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. 58.
Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 59.
Qui manducat me, ipse vivet propter me. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Iam vero Eucharistiæ manducationem non esse ad salutem necessario effica- 1.Cor.11.
cem & omnes fatentur, & diserte docet Pau- 29.
lus, dum qui eam indigne *manducat judicium sibi eum manducare* scribit. Ergo hanc Christus apud Ioannem nequaquam intelligit. Adhæc ea, quæ à Christo in illo sermone intelligitur manducatio, hujusmodi est, quæ iis, quos alloquebatur, Christus, plane esset ad salutem Ioa.6. 54

necef-

neceſſaria. *Niſi* (inquit) *manducaveritis carnē Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinē non habebitis vitam in vobis*. Euchariſtiæ a. manducatio non erat ad ſalutem iis, qui Chriſtum tunc audiebant, neceſſaria; quos vel ipſi etiam adverſarii abſque ea ſalvari per baptiſmum, & fidem & bona opera potuiſſe confitentur. Ergo hæc Euchariſtiæ manducatio non eſt, quam Chriſtus iſtic tam ſæpe memorat. Quibus rationibus adducti ſunt plurimi tum veteris, tum recentis memoriæ Theologi, etiam ex iis, qui apud adverſarios habentur celeberrimi, [a] ut totum hunc Domini Ieſu ſermonem de ſpirituali manducatione, quæ fit per fidem, intelligendum eſſe putarent. Hanc autem fuiſſe Chriſti mentem, ipſe ſi rem paulo attentius conſideraveris, ſatis docebit. Qui enim *ad ſe venienti*, & *in ſe credenti* eadem omnia, quæ *carnem ſuam manducanti, ſuumque ſanguinem bibenti* promittit; eandemque & horum & illorum actuum efficaciam eſſe affirmat; hoc ipſo clariſſime demonſtrat eoſdem ſibi eſſe utroſque illos actus; ſeque dum *carnem ſuam manducare, & ſanguinem ſuum bibere* dicit nihil aliud his verbis ſignificare, quam id ipſum, quod proprie illis expreſſit; nempe *ad ſe venire, & in ſe credere*. Plana ſunt Domini verba; *Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non eſuriet unquam*. [b] *Omnis qui videt Filium, & credit in eum habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. [c] *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Profecto is actus, quo fames & ſitis ſedantur is eſus & potus eſt. [d] *Credere* autem *in Chriſtum*, & *ad eum venire*

a Æn. Syl. Pius 2. P.R. ep. 130. Cuſan. ep 7 ad Boh. Ioan. de Ragus. in Conc. Baſil. Caiet. in 6. Ioan. & in Thom 3 qu. 80. art. 8. Gabr. Bi. in Can. Heſſeli. de cōm. ſubun. Ianſen. Conc. Evang. c. 59. Ruar. Tapp. art 15. Vald. T. 2. de ſacr. c 91 Armac l. 9 c. 8,
b Ioan. 6. 35.
c verſ. 40.
d verſ. 47.

actus esse hujusmodi hinc patet, quibus fames & sitis sedantur. Quid ergo superest, nisi ut *credere in Christum*, & *ad eum venire* id ipsissimum esse fateamur esum, ac potum, de quo Christus istic docet? Sed etiamsi quod illi sumunt Christũ hoc loco de Eucharistia loqui, id tam esset clarum atq; evidens, quam est obscurum, ac dubium; non ideo tamen quicquam promoverint. Nulla enim ex his est eorum, quę inde colligunt consecutio; Quo in loco dupliciter peccant. Primo n. ne illud quidem, quod querebatur, concludunt. Non quærebatur, *an Domini corpus & sanguis in Eucharistiæ Sacramento adsint* quod ab istis ex hoc Christi sermone concluditur; sed, *an panis & vinum in corporis, sanguinisque Dominici substantiam, sua ipsorum amissa, re vera convertantur*: Hoc vero ex Christi verbis nuuquam conficient, etiamsi id iis concessum fuerit quod nũnc concludunt. Clarum enim est, quod jam supra monuimus, posse à Deo fieri, ut in Eucharistia, etiam non immutata ejus substantiâ, realiter tamen adsint Domini & corpus, & sanguis. Sed hinc postremo id ipsum, quod concludunt, nego legitime confici posse. Nam si, quod Christi in Eucharistia *& corpus edimus, & sanguinem bibimus*; ex eo sequitur eorum substantiam vere atque realiter in hoc Sacramento adesse præsentem; pariter sequetur Christi substantiam eodem quoque modo in eorum, qui in ipsum credunt, animo ac mente esse præsentem: cum quod *in Christum credere*, etiam fatenti-

bus ex adverſariorum numero non paucis, id ſit ejus & *carnem manducare*, & *ſanguinem bi-*
Eph 3 17 *bere*: tum quod ex Paulo *Chriſtus per fidem in cordibus noſtris habitet*: ſequetur Chriſti ſubſtantiam in noſtro baptiſmo realiter eſſe præ-
Gal 3 27. ſentem, quod ſcilicet *Chriſtum induant, qui-*
Rom.6.3 *cumque in eo baptizantur, & una cum eo in mortem ſepeliantur*: Sequetur ejuſdem ſanguinem in *omnium ſecundum præſcientiam Dei electorum animabus* ſubſtantia ipſa adeſſe præſentem, quo
1.Pet.1.2. ſcilicet *aſperſi eſſe* à Petro dicuntur: itidemque in iis, qui *tribulatione magna veniunt*: quos ſci-
Apoc. 7. licet Ioannes affirmat *ſtolas ſuas in Agni ſanguine laviſſe, ac dealbaviſſe*. Iam ſi veri fideles & *Chriſti carnem manducant, & ſanguinem bibunt, & ipſum in cordibus ſuis habitantem gerunt, & eum induunt, & ei conſepulti ſunt, ejuſque ſanguine & aſperſi ſunt, & ſtolas ſuas laverunt, atque dealbarunt*, neque tamen ideo Domini ſubſtantiam contigerunt: cur non iidem ejuſdem quoque & *carnem edere, & ſanguinem bibere* in Euchariſtia poterunt, etiam in ea Chriſtus nequaquam ſuo corpore præſens adfuerit? Quis non videt omnibus iſtiuſmodi locutionibus rem unam, eandemque ſignificari, nimirum tantam eſſe, tamque admirabilem Dominicæ mortis in eos vim, atque efficacitatem, quibuscumque Chriſtus per fidem ac Spiritum communicatur, ut iſtis quod pertinet ad ſpiritualem vitam ea omnia abunde præſtet, quæ nobis ad hanc corporalem, ac mortalem præſtant & cibus, potuſque, quibus corpus reficitur, & veſtes, quibus tegitur atque ornatur, & aquæ,

ac li-

ac liquores, quibus vel abluitur, vel dealbatur: adeoque hunc esse Scripturarum in istis Sensum, ut ex iis intelligamus nos à Christo spiritualiter pasci, ali, ac conservari, peccato in nobis perempto liberari, animarum nostrarum nuditatem vera justitia tegi, corda nostra muniri, atque armari, sordes omnes abstergi, ac purgari. Ergo conclusum esto famosam illam *transsubstantiationem*, Romanæ religionis unicum longe nobilissimum mysterium, neq; in Scripturis legi, neque ex iis intelligi: in quibus eam non mentis, quam corporis oculis atque sensibus deprehendere facilius sit.

CAP. V.

Eucharistiæ adorationem nusquam in Scripturis doceri.

VNde & hoc quoque necessario sequitur neque ex Scripturis probari posse hostiæ adorationem, totius Romani cultùs apicem; quæ *transsubstantiatione*, scilicet, velut uno fundamento, tota nititur. Neque enim substantiam panis ac vini *accidentibus* (ut in Scholis loquuntur) velatam adoraturi essent adversarii, si eam non corporis, ac sanguinis Dominici, sed panis, ac vini Eucharistici esse putarent.

CAP. VI.

Ignem purgatorium nusquam in Scripturis doceri.

NVnc ad purgatorium ignem, quo corpore egressas fidelium animas in subterraneis regionibus cruciari tamdiu volunt, donec legitima hac satisfactione expunctis ac solutis pœnis peccatorum temporalibus liberæ cœlo demum admittantur, Miseret me adversariorum in conquirendis Scripturæ locis frustra sudantium, quibus fabulosus hic eorum ignis suscitari, accendi, foverique possit. Tantum eos dogmatis studium cepit, ut se id videre imaginentur, ubicumque *lacus*, *carcer*, *custodia*, vel ignis occurrit; neque usquam *conflatorii*, vel *camini*, vel *purgandi conflandique mentio fit, quin statim de suo illo purgatorio somnient.*

Dominus Christus apud Matthæum quæ sit sanctificationis in Ecclesia sua ratio docens, inter cætera præcipit, ut animum ab omni in proximum odio, & ira purgatum habeamus; grauesque pœnas iis minatur, qui vel levissime fratres offenderint, ut nobis nihil antiquius esse debeat, quam sincera cum iis concordia; quibus præmissis tandem hæc subjicit, *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novis-* Matth. 5. 25. 26.

simum

simum quadrantem. Hunc carcerem *suum purgatorium* esse ajunt. Sed ajunt: non probant. Hoc vero sua somnia dictare est: non ratiocinari, aut disputare. Quid enim nos cogit *carcerem* illum de purgatorio accipere? Quanto promptius est *carcerem* qui dicitur, de eo, qui vulgo apud homines ita vocatur, intelligere? in quem sæpe malæ fidei debitores, itemque vitilitigatores sua pertinacia, ac protervia, cum magna & rerum & famæ jactura conjicit, quam licebat antevertere, ac lucrifacere, si ex Christi hoc loco, & Apostoli in priore ad Corinthios epistola consilio mature cum adversario, amiceque transegissent? Ita Chrysostomus, & alii non pauci, ac inter eos Iesuita quoque Barradius, locum interpretantur. Quod si eum allegorice placet accipere, velut divini in eos judicii imaginem, qui nulla in fratres caritate uti volunt; nihil nos vetabit per *carcerem illum* adumbratas intelligere pœnas, quas Dominus hominibus ob neglecta Christianæ in proximos caritatis officia infligit, vel in hac ipsa vita, cum ejus providentia & manu circumclusi sic undique tenentur, ut elabi non possint, vel etiam in futura, cum in gehenna adamantinis tenebrarum vinculis constricti decreta immisericordibus supplicia in æternum luent, quem sensum sequuntur Maldonatus Iesuita, Toletus Cardinalis, Iansenius Eptiscopus, & stella Monachus Dominicanus. Aque hi confitentur (quod sane verissimum est) illis verbis, *non exibis donec reddas novissimum quadrantem*, simpliciter significari *istum summo jure punitum iri, ita ut ni-*

Chrys. Theoph. Euthym. in loc. Barrad. Harmo. Evangel. T. 1. l. 7, c. 17.

Mald. in Matth. 5 25. Tolet. in Luc. 12. annu. 86189.

Iansen. Conc. Evangel. c. 40. Stella in Luc T. 2. c. 12.

ut nihil ei de pœna debita remittatur; neque eam orationem vexandam esse, quasi iste scilicet de carcere aliquando vere esset exiturus, tantum eo (ut loquuntur) *supponi* exiturum istum, si solverit, adeoque nunquam exiturum, qui nunquam sit soluturus. Quod vero is, cui tu *consentire* nolueris, *adversarius tuus* vocatur, teque *judici traditurus* dicitur, id ea ratione dici, qua quod in Proverbiis scriptum, & inde à Paulo petitum legitur omnes dictum fuisse intelligunt; nempe qui inimico benefecerit, *carbones ignis super caput ejus congesturum*; & quo illud quoque Christus dixisse videtur, quod est apud Lucam, quibus eleemosynam dederimus, eos olim *nos in æterna tabernacula recepturos*; quibus locis planum est eum à Scriptura id fecisse dici, quod tametsi ipse proprie loquendo minime fecerit, occasionem tamen ut id fieret, præbuit.

Prov. 25. 12. Rom. 12. 20. Luc. 16. 9

Secundo, Huc etiam torquent, quod Dominus alibi pronuntiat, *qui verbum dixerit contra Spiritum S. ei neq; in hoc, neq; in futuro sæculo remissum iri.* Id enim ita intelligi volunt, ac si dictum esset *neque in hac mortali vita, neque in purgatorio.* Sed quid nos vetat *sæculum illud futurum* solemni ex Scripturæ usu pro eo sæculo accipere, quod resurrectionem mortuorum consecuturum est, Christique verba sic interpretari, ut neget Deum illam in Spiritum blasphemiam vel nunc, vel in ultimo judicio remissurum? & pronuntiet qui tanti criminis rei sunt, eos neque hic in terris inferiori Spiritus voce, neque olim Christi voce absolutionem

Matth. 12. 32.

absolutionem impetraturos? Possunt etiam illa verba ita simplicissime accipi, ut significent illud peccatum gravissimis, & irrevocabilibus pœnis & in hoc, & in altero sæculo punitum iri; in hoc quidem temporalibus, in altero vero æternis. Nam peccatum, ut *remittere*, sive *condonare*, est id non plectere, quod plectere, si velis, tuo jure possis; ita ex adverso *non remittere* est *punire*: & quidem certo ac graviter punire. Atque hac ratione & hoc sensu Deum etiam ultimo illo die peccata & iis qui fideles hic fuerint, *remissurum* & qui impœnitentes fuerint, *non remissurum*, & res ipsa loquitur, & docet diserte Paulus, cum Deum precatur, ut *in illa die Onesiphorus misericordiam a Domino inveniat*: Idemque non obscurè significat Petrus, ubi Iudæos his vocibus hortatur, *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra postquam venerint tempora refrigerii a conspectu Domini.* 2. Tim. 1. 10. Act. 1. 19. 20.

III Sed & plærique adversarii illa Pauli in priore ad Corinthios epistola ad suum purgatorium obtorto collo rapiunt, *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Exclamant *hunc ignem* suum esse illum purgatorium. Respondeo in primis Paulinum hunc locum unanimi veterum, ac recentiorum consensu inter totius Scripturæ obscurissimos, difficillimosque censeri, & eos quidem qui allegorice contexti sunt, unde patet quam non si ad hanc disputationem commodus, in qua ex claris, ac perspicuis scripturæ testimoniis fidei dogma constituendum, atque demonstrandum est. Tum 1. Cor. 3. 15.

addo nihil cogere, ut is locus de purgatorio accipiatur. Nam ut Chrysostomi, & Augustini, & aliorum expositiones mittam, qui Pauli verba longe aliter interpretantur; illud quidem nemo jure negaverit totum locum commodissime accipi posse de judicio, quod supremo illo mundi die apud Christi tribunal subituri sunt prædicatores, qui fundamentum quidem Evangelii firmum & immotum retinuerint; cæterum huic vana, quædam, & inania superstruxerint, hæc enim quæ perperam docuerint, clarissimo Dominici adventus lumine patefacta convictaque in fumos abitura; sed ita tamen, ut prædicatores hac una operis sui jactura multati, ipsi evadant, neque una cum Substructione sua conflagrent. Opus peribit, viri σωθήσονται *eripientur*, *servabuntur*, sed quasi *per ignem*; id est velut ex incendio, mediisque flammis; ac, ut Amos elegantissime loquitur, *quasi torris raptus ab incendio*; Animam habebunt pro lucro, unoque divinæ misericordiæ atque indulgentiæ munere consequentur, ut non una cum opere absumantur vi, & ardore immensi illius ignis, quo omnes mortales judicabuntur. Ita locum difficillimum commodissime (ut mihi quidem videtur) atque simplicissime interpretati sunt eruditissimi viri; à quorum sensu non discedit Gallica Paulinarum epistolarum paraphrasis, Lutetiæ sine auctoris nomine primum vulgata, sed quæ postea aucta & recensita clarissimi atque eloquentissimi viri Antonii Godelli Grassensis episcopi nomine publicata est.

Amos 4. 11.

IV. Po-

IV. Postremo ex veteris fœderis libris illa Zachariæ adducunt, *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* *Vinctos* istos non alios esse putant posse, quam fabulosos purgatorii sui cives. Id vero ludere est, non ratiocinari. Quid enim in tota divini vatis oratione occurrit, quod hunc *lacum* de purgatorio accipi cogat? Mitto litterales expositiones, quæ hæc verba ad captivitatem Babylonicam referunt, in qua Iudæi verbi divini refrigeriis, & cultu Hierosylimitano carebant. Si ad allegorias eundum est, quanto hæc melius ad æternam redemptionem nobis Christi Domini sanguine quæsitam pertinebunt; qua Ecclesia, cujus Israël typus fuit, cætera illa, ac miserabili captivitate liberata est, in qua à primo ortu naturâ suâ jacebat, Diaboli, peccatique serva, iræ divinæ obnoxia. Hic status vere *lacus fuit sine aqua*; cui scilicet omnis consolatio deerat; cum purgatorianos cives narrent ipsi ob certam spem *salutis incredibili* quadam consolatione frui.

Zach. 9.11

Bellar. de purgat. l. 2. c. 4.

Cap. VII.

Non doceri in Scripturis fideles ex operibus apud Deum justificari.

IAm neque ex Scripturis probari potest operum, quæ à fidelibus fiunt, ea dignitas, quam docent adversarii, tanta scilicet quanta ad merendam ex condigno & peccatorum remissionem, & vitam æternam satis sit. Chri-

ſtus ſane, fateor, de muliere quadam pœnitente dicit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed & ſimilitudo, quam præmiſerat, & id quod ſubjungit, *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*, planum faciunt hujus in ſe dilectionem memorari, ut ſuæ in eam gratiæ, non meritoriam cauſam. ſed argumentum ac ſignum. Ita ſæpe vulgo dicimus; *Solem ortum eſſe, quoniam clara lux eſt*; ut ſignificemus claram lucem orti Solis, non cauſſam (quod abſurdum eſt) ſed effectum ac ſignum. Sic locum hunc accipit Villalpandus Ieſuita, ubi poſtquam obſervavit particulam *quoniam* ſæpe in Scripturis uſurpari pro *propterea*, hæc ipſa Chriſti verba ad exemplum affert, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, id eſt. *& propterea multum multum diligit. Nam ejuſmodi* (inquit) *epiphonema exſpectabat pendens argumentatio Domini, deſumpta a parabola creditorum, ut legenti palam eſt.* Quod vero hujus mulieris fides vera cauſa fuit, cur ei remitterentur peccata, ſatis demonſtrat hæc Domini ad eam oratio: *Fides tua te ſalvam fecit: Vade in pace.* Quod vero & Dei dilectio, & proximi amor, & bona opera ejus gratiæ effecta ſint, qua nobis Deus in Filium ipſius credentibus, peccata gratis condonat: id omnis Scriptura paſſim clariſſime docet, ut vel ex hoc Pauli loco apparet, *Dei* (inquit) *ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

[Marginalia: Luc. 7. 47. — ibid. 41. 42. 47. — Villalp in Ezech 19. 10. — Luc. 7. 50 — Eph. 2. 10]

II. Fateor Iacobum ſcripſiſſe *Abrahamum ex operibus juſtificatum eſſe, offerentem Iſaac filium ſuum*

[Marginalia: Iac 2, 21.]

ſuum ſuper altare. Sed patet eum his verbis minime ſignificare Abrahamum *peccatorum ſuorum remiſſionem ob hujus operis meritum, ac dignitatem à* Deo *eſſe conſecutum*: quando Scriptura, referente Paulo clamat Abrahamo etiam ante natum Iſaac, *fidèm ad juſtitiam imputatam fuiſſe.* Iacobus iſtic diſputat, non de ratione, ac conditione, ex qua homo peccatis apud Deum abſolvitur, ſed de fidei, qua is in gratiam ſuſcipitur, ingenio, atque qualitate; quam pugnat ſcilicet efficacem eſſe, & bonorum operum feracem, non ſterilem & infructuoſam, qualis eſt inanis illa fidei larva, de qua ſibi blandiuntur hypocritæ. Iam quo id probet affert inter alia & Abrahæ exemplum: qui quidem fide eſt & peccatis abſolutus, & in gratiam receptus, ſed fide, quæ viva fuit, & in bona opera efficax; quod luculentiſſime comprobavit eximium, ac plane ſtupendum obſequium, quod ille Deo præſtitit, cum filium unicum immolare jubenti incunctanter paruit. Tum clare impleta, affirmataque fuit ea Scriptura, quæ Abrahæ hoc teſtimonium perhibet, quod *crediderit Deo.* Tum patuit non fruſtra, ſed veriſſime de eo dictum fuiſſe; *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Fides (inquit Iacobus) *ex operibus* ἐτελειώθη *conſummata eſt*: vel *perfecta eſt*; id eſt operibus perfectionem, atque excellentiam ſuam oſtendit, ac patefecit, ſe operibus teſtata eſt perfectam, ac conſummatam eſſe: plane eodem ſenſu, quo Paulus alibi ait *Domini potentiam ſive virtutem in infirmitate.* τελειοῦται, *perfi-*

Gen. 15. 6

Rom. 4. 2. 3.

Gen. 15, 6

Iac 2, 23.

Iac. 2. 22

2. Cor. 12. 9.

perfici, vel *consummari* (idem enim utrobique verbum est) hoc est vim ac perfectionem suam in infirmitatibus, & afflictionibus nostris exercere atque prodere. Id ergo ipsum intellexit Iacobus, dum dixit *Abraham ex operibus justificatum esse*, hoc est operibus suis probasse, ac demonstrasse, qui vir esset: qua ratione idem quoque verbum usurpavit Paulus, quo loco Dominum Iesum ait *justificatum esse in spiritu*; hoc est eum magnis illis, stupendisque operibus, quæ divina vi gessit, clarissime ostendisse, luculentissimeque comprobasse se vere Deum esse æternum. Sic etiam intelligenda veniunt ea, quibus Iacobus hanc disputationem concludit, *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?* Sensus est, ostendi & probari qui quisque sit & qualis, non eo tantum quod credit sed eo etiam quod agit, atque operatur. Id v. nos quin verissimum sit, minime omnium negamus; qui spectrum illud fidei, quod de sola sibi credulitate blandiens, ac plaudens, nullos bonorum operum fructus edit, ex animo odimus, atque abjicimus, planeque cassum atque inutile esse confitemur. Atque hoc est quod Iacobus in ipso statim limine, veluti totius disputationis argumentum, his verbis ponit; *Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere? opera autem non habeat?*

1. Tim. 3, 16.

Iac. 2. 14.

CAP. VIII.

Non docere Scripturam bona fidelium operà vitam æternam ex condigno mereri.

NEque vero quæ peccatorum remiſſionem non merentur fidelium opera, ea putandum eſt vitam ac gloriam æternam *ex condigno* (ut loquuntur) mereri. Adverſarii, qui hoc aſſirmant, plurima ex Scripturis loca colligunt; ac convaſant, in quibus teſtatum habetur Deum pie ſanćteque vitam inſtituentibus æternam gloriam in cœlis daturum, vel redditurum, cujuſmodi ſunt hæc, & alia ejuſdem generis non pauca, *Deus reddet unicuique ſecundum opera ejus; iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorrruptionem quærunt, vitam æternam*; Tum, *Gloria* (inquit) *& honor & pax omni operanti bonum.* Sic Chriſtus; *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Idem alibi : *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me,* &c. Sed neque hæc loca, neque alia ejuſdem generis propemodum innumerabilia, id quod quæritur, probant; eam ſcilicet eſſe operum, quæ à fideli-

Rom. 2. 6.7.10.

Matth. 10.42.

Matth. 25.34.

Vide Matth. 5. 12. & 16. 27.

2 Cor. 5. 10. Hebr. 6. 10. & 10. 2. & 11, 26 2. Tim. 4. 8. Apoc. 21, 7. & 12. 12 Prov 11 18 Es. 3, 10.

fidelibus fiunt, vim atque excellentiam, id pretium, eumque valorem. ut vitam æternam *ex condigno* (quod isti ajunt) *mereantur*: sic, ut eorum sit certa & æqualis ad futuram gloriam ratio, ac proportio, hujusmodi quæ ex jure deposcat, ac flagitet vitam æternam eorum mercedem esse; Deumq; ad hanc illis rependendam ipsa rei justitia ita obligari, ut si aliter instituerit, jura quæ inter ipsum & hominem esse debent, violasse, injusteque fecisse censendus sit. Hoc enim ipsum significat id ex *condigno meritum*, quod bonis fidelium operibus adversarii tribuunt, nos negamus. Vnum hoc ex laudatis locis legitime concludi potest; nempe Deum qui pie, sanctèque in hoc sæculo vixerint iis vitam æternam & promisisse, & olim certissime daturum esse, suamque ea de re fidem summa religione ac munificentia liberaturum esse: unde fit, ut vita æterna sanctitatis & bonorum operum *consectarium, & quædam merces, quoddamque præmium* haberi ac dici queat: quam mercedem, quodque præmium, qui in vocatione sua strenue laborant, constanterque perseverant, fideles, certo à Deo exspectare non modo possunt, sed etiam debent. Sed nos horum nihil negamus. Id tantum contendimus, eam mercedem *à sola Dei gratia*, qui promisit, & daturus est, quia summe bonus est, exspectandam, non ab operum nostrorum pretio ac dignitate; quæ quantumvis pura ac sancta fuisse fingantur, officia postremo fuerunt, Deo cui exhibentur, innumeris, maximisque nominibus debita: adeoque hujusmodi,

Bell de Iustif. l. 5 c. 17. 18.

di, quibus nulla proprie inesse potest *meriti ex condigno* ratio. Constat enim eum, qui id præstat quod debet, & cui præstando jure obligatus erat, eum quidem *officio perfungi, debitumque suum expungere*; hoc ipso quicquam insuper *ex condigno mereri*, neque constat, neque sane consentaneum vero est.

II. Sed & ex Luca hæc Christi de beatis verba afferunt, *illi qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis.* Luc. 20. 35. Item illud de fidelibus Sardensibus, eos cum Domino *ambulaturos in albis, quia digni sunt*: & illud Pauli, Thessalonicenses *persecutiones sustinere, ut digni habeantur in regno Dei.* Apoc. 3. 4. 2. Thess. 1. 5. Sed solutio est in promptu, *digni* nomen rei vel personæ aptitudinem, congruamque dispositionem, non autem meritum significare. Vt cum Iohannes Iudæos jubet *facere fructum dignum pœnitentiæ*; clarum est eum intelligere, non qui *pœnitentiam mereatur* (quod esset ridiculum) sed qui pœnitenti congruat, isque sit quem ejus esse decet, qui vera anteactæ vitæ pœnitentia ducitur. Matth. 3. 8. Hoc sensu, qui pie sancteque vivunt, & in suscepta vocatione constanter perseverant fideles, *digni regno, digni albis dominicis dicuntur*, h. e. iis esse præditi dotibus, ea mente, eo animo, iis moribus esse, quib. esse decet tanti (ut sic dicã) muneris candidatos: denique tales esse significantur, qualibus optimus Deus ex mera benignitate summa illa daturum se promisit.

III. Instant adversarii, & hanc retributionem divinæ justitiæ opus esse caussantur. *Iustum est apud Deum* (inquit Paulus) *retribuere* 2. Th. 1. 6. 7.

tribula-

tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus. Item, *Non injustus* (inquit) *Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis.* Sic etiam alibi: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Ad hæc ego respondeo *justitiā* ex Hebrææ linguæ phrasi à divinis Scriptorib. sæpe pro *benignitate & liberalitate, justum* pro *benigno, & liberali* usurpari ut in illis ex Psalmorum libro à Paulo laudatis: *Dispersit:: dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Vnde factum est, ut eleemosyna, quæ, ut notum est, beneficentiæ, gratuitæque liberalitatis opus est, δικαιοσύνη *justitia* apud Matthæum, & Danielem & alibi, dicatur. Vitæ æternæ retributionem fatemur hoc sensu opus esse *justitiæ* id est benignitatis, & munificentiæ Dei; esse *justitiam,* id est eleemosynam, quam ille nobis ex mera misericordia gratis donat. Tum & concedo *justum* esse, ut Deus iis vitam æternam donet, qui crediderint & paruerint, non quod hi rem tantam ex condigno meriti sint: sed quod eam Deus ultro quidem & gratis, sed tamen vere, constanterque promiserit. Fidem enim datam præstare, & quod pollicitus sis, implere, *justitia* est: quamquam quæ promiseris, ea ex mera, gratuitaque bonitate, nullo ejus, cui promisisti, merito provocata, promiseris. Denique si piorum & fidelium causa cum peccatorum, & sceleratorum,

Hebr. 6. 10.
2. Tim. 4, 8.
Psal. 112. (Lat. 111.) 9. 2. Cor. 9. 9.
Matth. 6. 1.
Dan. 4. 24. & 9. 16. & apud 70.
Ezech. 18 19. 21.
Deut. 24. 3.
Eccles. 44. 10.
Neh. 9. 8.

rum, qui eos persequuntur, causa comparetur atque contendatur; negari non potest, quin justissimum sit illos quidem, velut in hac omni causa innocentissimos, à Deo sublevari, defendique, & absolvi: hos, ut nocentissimos, & iniquissimos prædones, cōpesci, damnari, ac puniri. Sed non ideo fit, ut extra hāc comparationē per se spectata fidelium opera quicquam tanti pretii habeant, quod proprie, ac (ut loquuntur) ex condigno cœlestem illam gloriam mereatur, qua olim coronandi sunt. Manet enim illud Apostoli; *Gratia Dei vita æterna est in Christo Iesu Domino nostro.* Sed nihil necesse est pluribus hæc persequi; quod apud ipsos adversarios multi reperiantur, iique nobilissimi Scriptores, qui hoc suorum *de merito ex condigno*, superbum sane atque impudens dogma, non modo in Scripturis haberi negant, sed etiam palam arguūt, ac confutant, pugnantes alii bona fidelium opera solâ divinæ promissionis, atque acceptationis, nulla operis ipsius ratione, esse meritoria; ut Scotus, & Vega; alii ne supposita quidem Dei promissione, hujusmodi videri, quibus merces ex justitia, aut aliter quam ex mera Dei liberalitate debeatur, ut Durandus, & alii.

Rom. 6. 23.

Vide Bell. l. 5. de Iustif. c. 16.

CAP. IX.

Non doceri in Scripturis sanctorum hominum vita hac functorum invocationem.

SEquitur, ut de precibus dicamus, quas adversarii sanctis hominibus hac mortali vita functis & offerunt, & offerendas esse contendunt; qua de re nulla Scripturarum vel præcepta, vel exempla adducunt. Tantum aliis præsidiis destituti, loca quædam admodum aliena, ad hanc caussam rapiunt. Quale est Iacobi Patriarchæ familiæ in supremis benedicentis, de Manasse & Ephraim suis ex Iosepho nepotibus dictum, *Invocetur super eos nomen meum.* (Genes. 48. 16.) Sed ista est, non quod delirant adversarii, ulla de se post mortem invocando præceptio, sed solennis, qua nepotes suos in filios adoptat, testificatio, jubens eos suo nomine, tanquam suos legitimos liberos censeri. Consentiunt doctissimi quique ac probatissimi etiam Romanarum partium interpretes Lyranus, Pintus, Sa, Pagninus, Arias Montanus. Locutio est Hebræa; ut cujus nomine quis censetur, *ejus nomen super ipsum invocari* dicatur. Ita septem illæ mulieres apud Isaiam viri, cui se dant in clientelam, *nomen super se invocari* petunt; hoc est se ejus mulieres censeri. (Isai 4 1.)

II. Sed instant; & à veteribus piis factam in precibus observant Sanctorum ante se mortuorum mentionem. Vt cum Moysés Dominum

num orans; *Recordare* (inquit) *Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli.* Sed omnes vident Patriarchas ideo nominari, quod ad eos factæ essent hic à Moyse memoratæ Dei promissiones. Nos vero concedimus iis licuisse Domino sua pacta atque juramenta in memoriam revocare; qualiter & nobis hodie percussum in Christo fœdus, cujus vetera ista totidem fuerant figuræ, apud Deum in precibus objicere ac commemorare licet. Quod vero quæritur, longe aliud est, an scilicet nostræ illæ preces sanctis vita functis destinari, fundi, atque offerri debeant vel possint; quod à Moyse neque istic, neque usquam alibi factum legimus.

Exod. 32, 13.

III. Tum sic ratiocinantur. Christus docet Sanctos esse sicut Angelos in cœlo. Atqui reperimus Angelum à Iacobo fuisse olim invocatum. Quidni ergo & Sanctos invocare licebit? Sed hoc argumento, quid fingi possit ineptius, ac futilius non video. Primo Christus loco illo, quem laudant, de Sanctorum statu verba facit, qui post resurrectionem futurus est, Nos de eo quærimus, qui nunc est, & ad resurrectionem usque erit. Tum neque Christus Sanctos Angelis simpliciter & in genere comparat (alioqui sequeretur & Sanctos post resurrectionem corpora, quibus scilicet carent Angeli, nulla habituros) sed ejus tantum rei ratione, de qua quærebatur. Nempe de matrimonio interrogaverant Sadducæi. Ergo hactenus Angelorum similes futuros resur-

Matth. 22, 30.

rectionis filios, intelligit Dominus: quod instar Angelorum nullum amplius cum nuptiis negotium habituri essent; quod ex Hieronymo diserte notavit Maldonatus. *In resurrectione* (inquit Christus) *neque nubent, neque*
Matth. 22.30. *nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Iam vero Angelum, quem à Iacobo invocatum nar-
Malach. 3. 1. rant, quis nescit *Angelum fuisse fœderis*, æternum Dei Filium? Qui sit, vel Iacobi verba demonstrant, Deus (inquit) *in cujus conspectu am-*
Gen. 48 15. 16. *bulaverunt Patres mei Abraham, & Isaac: Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis,*
Thesauri l. 3. *benedicat pueris istis.* Cyrillus Alexandrinus adversus Arianos hæc Iacobi verba ad Angelum creatum, quod hodie faciunt adversarii, detorquentes, tam fuse, tamque erudite locum Christo Domino vindicavit, ut plura addere nihil sit opus.

IV. Deniq; ita argumentantur adversarii; Fideles hic nobiscum in terris consistentes ro-
Rom. 15. 30. Col. 4 3 Eph. 6. 9. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess 3. 1 Heb. 13 1 gamus, ut Deum pro nobis precentur. Paulus id auxilium sæpe poscit à suis, ut à Romanis, ab Ephesiis, à Colossensibus, à Thessalonicensibus, ab Hebræis. Cur nefas erit idem suffragium à Sanctis in cœlo versantibus poscere, & nostris precibus humiliter ambire? Primo etiamsi valeret argumentatio, non tamen id omne, quod isti postulant sibi licere, concluderet. Hoc enim unum conficit argumentum, ut nobis cœlitum preces rogare liceat, quo modo Paulus rogavit superstitum. Paulum vero à superstitibus Sanctis petivisse videmus, ut pro

ipſo Deum orarent; ſupplicaſſe iis, & ad eorum genua accidiſſe, & abſentes vel alloquutum vel veneratum eſſe, vel ſtatuas, aut imagines iis conſecraſſe, vel ante eorum ſimulacra procubuiſſe, vel cereos, & corollas obtuliſſe, vel vota feciſſe, vel his verbis aliquem ex eorum numero compellaſſe, *Iube Redemptori, Nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*; horum inquam officiorum ullum apud ſuperſtitem fidelem uſurpaſſe Paulum nuſquam legimus; ac ne nunc quidem ullum eſſe puto ſanæ mentis fidelem, qui aliquid hujuſmodi fratri ſecum in his terris viventi deferre velit. Ergo ſi ſtat hæc ab illis allata ratio, concidit quicquid hujuſmodi cultum Romani Sanctis cœlitibus tribuunt; quibus ipſa hoc unum quærit, ut ab iis precum apud Deum auxilium poſcere liceat; Si quid præterea fit, id per hanc quidem rationem, vanum eſt, & præter fas tentatum. Sed præterquam quod multo minus hoc argumento concluditur, quam quod concludendum fuerat, ipſa adhæc argumenti conſecutio futilis ac nulla eſt. *Sanctos ſuperſtites rogamus, ut Deum pro nobis* (inquit) *precentur. Ergo & mortuos, in cœlum ex his terris translatos, itidem rogare licet.* Quis vero tibi hoc juris dedit, ut ab illis ad hos argumenteris? Nihil-ne inter utroſque diſcriminis, ut quæ illis conveniunt, his eadem convenire putentur? Illos quidem videmus; cum illis colloquimur: quid nobis rogantibus reſpondeant, audimus; Hi à nobis magno, ac pæne immenſo intervallo dividuntur; ut neque intelligere poſſimus, an vo-

ces noſtras audiant: quibus ſcilicet nulla eſt cum iis conſuetudo; nullum vitæ commercium. Illud quidem non dubitamus, ut pro eorum fœlicitate ac gloria Deo gratias agimus, ita & ipſos pro noſtra incolumitate Deum precari & Eccleſiæ, quam in terris ſub Domini ſui ſignis militare ſciunt, victoriam ac triumphum optare. g Sed hinc concludere nobis eos perinde ro are, atque alloqui licere, ac homines, qui nobiſcum hic vivunt, quorumque conſuetudine, ac mutuo commercio fruimur, id vero ut quivis videt, abſurdum & ridiculum eſt. Quod Elizæus quid abſens Giezi cogitaſſet, ac feciſſet: Daniel quid Nabucodonoſor in ſomnis vidiſſet, Petrus, quid Ananias & Sapphira deliberaſſent, ex Dei revelatione intellexerunt; eo quidem demonſtratur poſſe Deum ſi velit, noſtras cogitationes, ac preces Sanctis in cœlo verſantibus revelare (de quo nemo Christianus dubitat) ita vero velle Deum, ac reapſe revelare, quod ſcire nos, certumque ac exploratum habere ad hoc, ut Sanctos legitime precemur, omnino neceſſe eſt; nequaquam demonſtratur. Neque hoc inde concluditur, quod Angelis peccatorum pœnitentia nota eſt. Cum enim *Angeli ſint adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter pios, qui hæreditatem capient ſalutis*; nihil mirum eſt eos, quid piis accidat, cognoſcere. De Sanctorum animabus corpore ſolutis, nihil hujuſmodi ex Scripturis accepimus; quæ eas *à laboribus quidem quieſcere* nos docent, res noſtras ſecundas, adverſaſve cognoſcere ſigillatim.

2. (Lat. 4.) Reg. 5. 16. Dan. 2. 29. Act. 5. 1. 2. 3. 4. Luc. 15. 10. Heb. 1. 14 Apoc. 14.

iis in

iis interesse, atque earum satagere, non docent. Quamquam haud scio an non temerarium futurum sit eos invocare, de quibus invocandis nullum Dei præceptum, nullum piorum exemplum in sacris litteris habemus: etiamsi constaret, (quod non modo dubium & obscurum, sed etiam ab omni veri specie alienum est,) ipsos res precesque nostras intellecturos. Huc accedit, quod hujusmodi invocationis usus homines facile, ac pæne necessario eo adducit, ut quæ unius Creatoris sunt, ea creaturæ tribuant. Cum enim animis nostris ab ipsa pæne natura infixum sit atque insculptum, rem esse divinam hominum corda inspicere, & absentiũ facta, dictaque videre, atq; intueri; fieri vix ac ne vix quidem potest, ut Sanctos, quos non videmus, neque sentimus, precemur tamen, atque alloquamur, quin aliquam iis divinitatem tribuamus; Idque vel ex adversariorum exemplo discere licet; qui dum Sanctos precantur, plerique, maxime vero rudiores, sic plane in eos animis afficiuntur, quo modo in Deum affici, quoties eum precantur, solent. Iidem omnino sunt in utroque officio mentium motus, ac sensus. Sed cum nunc quidem satis sit, quod ista Sanctorum invocatio ex Scripturis non demonstratur, nihil necesse est diutius in hoc loco immorari.

CAP. X.

Imaginum (ut vocant) sacrarum venerationem neque præcipi, neque ulla omnino ratione doceri in Scripturis.

IAm vero imaginum, quas & Sanctis, & beatissimæ Virgini, & Christo ipsi consectare apud adversarios solenne est, venerationem multo etiam difficilius fuerit ex Scripturis probare; quæ eam scilicet adeo non jubent, aut præcipiunt, ut etiam disertissime omnem in genere quarumvis rerum similitudinem in religione usurpare vetent. Videamus tamen quid ad hanc causam afferant.

Exod. 25. 18. 19. 20. Num. 21. 8. Cherubim primo in medium adducunt à Moyse ex auro factos, alis expansis utrumque propitiatorii veteris latus tegentes, & æneum serpentem ab eodem in deserto exaltatum & pro signo positum; item picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia, quibus oraculi ostiola Salomon exornasse dicitur, & boves fusiles, quibus mare fusile imposuit, leonumque & aliarum rerum simulacra, quibus varias Hierosolymitani templi partes decoravit. Tertullianus, idololatriam opere proprio oppugnans, ejus fautores hæc eadem objectasse refert, quæ ille docte, ut solet ac erudite diluit, & refellit. Ego vero ne extra instituti terminos evagetur oratio, breviter respondeo nihil hæc ad imaginum ve-

2. Reg. (Lat 4.) 6. 31 32. 35 & 7. 25. 29. 36.

de Idolo l. c. 5.

rationem

nerationem facere. Primo nulla in his memorantur vel Dei ipsius, vel alicujus viri, simulacra, cujus illustre fuisset in Ecclesia ministerium. Tum illæ imagines, partim typi erant & mystica rerum divinarum symbola, ut serpens æneus, & Cherubini, propitiatorium obumbrantes; partim templi ornamenta: ut palmæ, & anaglypha, & boves, leonesque Salomonis fusiles: Nulla fuit ad venerationem posita, vel instituta; idque apud sanctissimos illius memoriæ viros ita certum, constansque erat, ut Ezechias serpentem æneum, cum ei à populo suffitus fieri, incensumque adoleri animadverteret, confringere, quo grassanti errori occurreret, minime dubitaverit. Ergo ex posteriori objectionis parte legitime concludi potest, non (quod cupiunt, & quod docent atque usurpant adversarii) imagines ex religione osculandas, non ad eas aperto capite, genibusque humi fixis supplicandum, non aliquid iis sacræ venerationis in Christi & Sanctorum honorem impendendum; sed licere (quod nos sane nunquam negavimus) sacratum ædium si forte valvis, & laquearibus, vel columnis florum & animalium species ad ornatum insculpere. Cherubinorum vero, & ænei serpentis, quod priore loco objectum est, exemplum, nihil ad rem facit: primo quidem, quod in Christi Ecclesia nullus sit amplius typis locus, quos ille sustulit, & repræsentato ipso veritatis corpore ejus umbras, quæ olim ante ortum hunc Solem fuerant, plane penitusque dissipavit. Huc accedit, quod qui illa

2. (Lat. 4) Reg. 18. 4.

Concil. Trident. Sess. 25.

gna, Moſem facere, atque locare diſerte juſſerat Deus, is nihil ſimile de Romanorum imaginibus unquam præcepit. Id unum hinc video non male colligi poſſe, cum ſerpens æneus Dei juſſu inſtitutus, ab Ezechia incunctanter confractus fuerit, ſimulatque cœpit populus honores religioſos ei deferre ex re pietatis futurum, ut Chriſtiani Principes, atque Epiſcopi eas Sanctorum imagines ex Eccleſiis, & publicis, ubi proſtant locis amoliantur, atque exterminent, quibuſcumque divini, certe religioſi honores, à plebe deferuntur; eo impenſius, quod has notum ſit nullo Dei præcepto, ſed mera hominum ſive auctoritate, ſive libidine inſtitutas, & in Chriſtianorum ſacra invectas, viderint adverſarii, an imaginum venerationi hæc conſecutio faveat.

CAP. XI.

Nuſquam docere Scripturas urbis Romæ epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ Pontificem, Sponſum, Caput, & Monarcham eſſe, neque adeo quicquam eorum conſtituere, quæ una illius Epiſcopi auctoritate nituntur.

NVnc ad primarium, ac vere capitale iſtorum dogma veniamus; quo uno etiamſi nihil aliud eſſet, cætera omnia ſatis, ſuperque conſtitui, ac confirmari putant: Id eſt ad urbici Epiſcopi monarchiam; auctoritatem ſum-

ſummam & ἀνυπεύθυνον. Conantur ergo ex Scripturis probare ſuum illum (ut vocant) Papam totius Catholicæ Eccleſiæ caput, Sponſum, & Monarcham eſſe; ſed rationibus ita abſurdis, & à quæſtione alienis, ut ſatis appareat iſtos multo majori animi ſtudio, quam judicio, diſputare.

Principio ſummum totius Iſraelis ſub veteri Teſtamento Leviticum Pontificem magna pompa in hanc arenam inducunt; vociferantes tam illuſtri typo ſuam ſub novo fœdere defuturam veritatem, niſi unus quoque ſit totius Chriſtianæ Eccleſiæ Pontifex; unde ſtatim concludunt non ad alium quam ad ſuum Papam hujus monarchiæ dignitatem pertinere. Quaſi vero non ſatis nos divinus Apoſtolus docuerit Chriſtum Eccleſiæ ſuæ ſummum eſſe Pontificem; vel quaſi novus hic Chriſti Pontificatus totam veteris umbram, ac figuram implere, atque expungere ſui (ut ſic dicam) corporis veritate non poſſit. Atqui veteris illius Moſaici, Pontificis, quem huc improvide obtrudunt, unitas omnes (ut mihi quidem videtur) urbici rationes conturbat, ac disjicit, qui ſi & Pontifex quoque ſit, duo futuri ſunt in Eccleſia Chriſtiana Pontifices, cujus unum fore aperte præluſerat vetus Moſaicæ figuræ diſpoſitio. Denique ſi finxeris præter Chriſti Pontificatum, alium inſuper, aliquem apud Chriſtianos eſſe inſtituendum; non video, cur hic Epiſcopi Romani potius, quam cujuſquam alterius eſſe debeat.

Hebr. 3. 2. & 5. 5. 6. & 7. 26. 27. & 8. 1. 2 & 9. toto.

Sed in eo potiſſimum triumphant, certe ſibi trium-

Matth. 16.18.19. triumphare videntur, quod Dominus Christus Petro promisit se super hanc petram Ecclesiam suam ædificaturum, eique claves regni cœlorum, ligandique ac solvendi potestatem daturum, & quod à mortuis suscitatus eundem suas oves pascere ter jusserit; & quod alia quædam præcipua eidem contulerit; quale verbi gratia est, quod Petrus *primus* alicubi dicatur, & quod Dominus pro eo didrachma solverit, Ex his in unum acervum congestis conficiunt suum Papam summum esse totius Catholicæ Ecclesiæ Principem, ac Monarcham. Atque hæc quidem est palmaria istorum demonstratio; in qua nihil est sani. Nam & falsa *supponit*, & perperam concludit. Vt enim quod posterius dixi; id prius exsequar, fuerit Petrus Ecclesiæ totius fundamentum; fuerit Monarcha; fuerit Apostolorum rex; quidvis denique fuerit; quid hoc ad Papam, qui nunc sedet? quid, ad cæteros, qui ei decesserunt? ut ab illo ad hos argumentari liceat? *Petrus caput Ecclesiæ fuit: Ergo hic qui Romæ inter purpuratos Patres triplici diademate redimitus regnat, ipse quoque Ecclesiæ caput est?* Quantum, & quam immane inter hæc duo intervallũ interest? Vt hoc ex illo sequatur, demonstrandum est primo Petrum fuisse Romæ: tum Episcopũ Romanæ paroeciæ fuisse: tum Episcopo Romæ, non solum urbis episcopatum, sed quicquid ipse habuit dignitatis reliquisse, ut suo ex asse hæredi; denique præter Apostolatum, qui ei cum Paulo & Ioanne & cæteris collegis communis fuit, habuisse & gessisse ordinarium quoddam,

Joan. 21. 15.16.17.

Matth. 10. 2. & 17. 24.

& per-

& perpetuo apud Christianos futurum, Ecclesiæ totius imperium ac regnum. Atqui ne primum quidem horum quatuor capitum, nedum ut cætera, quæ longe difficiliora sunt, probari ex Scriptutis posse constat. Vt enim Babylonem illam, unde priorem epistolam scripsisse se Petrus dicit, de urbe Roma accipiamus nihil cogit. Itaque si ad aliquid ex Scriptura concludendum, necesse est, quod isti decernunt, utramque ex qua id concluditur, propositioné in Scriptura extare, patet ex ea Papæ potestatem non posse probari. Illa vero quæ sequuntur, Petrum & Romanæ Ecclesiæ episcopum fuisse, & quicquid habuit dignitatis, id totum Romæ episcopo, veluti suo ex asse hæredi, dimisisse, illa inquam cum ab omni veri & rationis specie plurimum absunt, tum ex Scripturis (quod nobis nunc satis est haberi nequeunt. Quicquid ergo verba illa significent, *Tu es Petrus*, & *pasce oves meas*, hoc quidem certe constat ea ad Papæ monarchiam nihil pertinere, quæ de Petro, non de Papa scilicet, dicta esse nemo non videt. Quartum denique illud, quod postremo loco positum isti omissis cæteris, probandum sibi sumunt, *Petrum cæterorum Apostolorum dominum ac Principem fuisse*, falsum esse respondeo, neque ex iis, quæ adducta sunt locis, ulla ratione confici posse. Christus Petro ait; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hoccine est Petrum Ecclesiæ Monarcham, Apostolorumque dominum ac principem constituere? Nulla vero est Grammatica, quæ hunc istorum sensum

1. Petr. 5. 13.

ſum eſſe tradat; nulla Dialectica, quæ hoc ex illis ſequi doceat. Primo plerique Patres, & ex ipſis adverſariis non pauci, *petram* illam, *ſuper quam ædificanda erat Eccleſia*, non *Petrum*, quod iſti nunc ſumunt, ſed ipſum, quem Petrus erat confeſſus, *Chriſtum* [a] intelligi volunt, veram atque æternam Eccleſiæ petram, fundamentum unicum, præter quod nemo aliud poteſt ponere; vel certe; quod eodem recidit, Petri de Chriſto confeſſionem, [b] & fidem, quam modo erat & ſuo & collegarum nomine profeſſus. Tum, etiamſi illa Chriſti verba de *Petro*, quod iſti ratione vincere non poſſunt, ut intelligantur gratis donavero; quid hic tantum ei tribuitur ut Monarcham Eccleſiæ, & collegarum regem fuiſſe fatendum ſit? Atqui & ſuper reliquos Apoſtolos fundatam fuiſſe Eccleſiam, [c] non minus quam ſuper Petrum, ex Scriptura planum eſt; neque ſuper *Apoſtolos* tantum, ſed etiam ſuper eos Prophetas, quos in ipſis Chriſtianiſmi primordiis ſuſcitavit Deus; ut ex his Pauli verbis intelligitur, [d] *Vos eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum* APOSTOLORVM, & PROPHETARVM, *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quid vero aliud eſt, *Eccleſiam ſuper Apoſtolos & Prophetas fuiſſe fundatam,* niſi hoc unum? eas ſcilicet ſua

a Aug. de verb. Domin. ex Matth. Serm. 13. tract. 24 in Ioan. tract. 13. in 1. epiſt. Ioann. Serm. 21. ex 40. Sermon. Primas. l. 2. in Apocal. p. 1384. C. & l. 5. p. 1456. C. Bibl. Pat. T 1. Anſelm. in loc. Gloſſa interl. Lyran. Arbor. Theoſoph. l. 5. c. 5. Alliac. Concord. l. 2. c 13.

b Hilar. l. 6. de Trin. Ambroſ. de incar. Dom Sacram. c. 5. Auguſt. tract. 10. in 1. epiſt. Ioan. Chryſoſt. in Matth. hom. 54 & in Ioan. hom. 21. (Lat. 20.) & in Gal. 1. & Serm. in Pontec T. 6. p. 233. a. Baſil. Seleuc. orat 25. Victor Antioch. in Marc 3. Ion. Aurelian. l. 3. contr. Claud. Taurin. Carthus. Ferus, Titelman. Gorran. in locum.

c Apoc. 21. 14. d Eph. 2. 20.

sua Evangelii prædicatione, Synagogam quidem abolevisse, Ecclesiam vero novam Domini rempublicam, cœleste regnum, fundasse, atq; constituisse? Hoc unum Petri præ cæteris præcipuum fuit, quod is primus Evangeliũ tum apud Iudæos, tum apud Gentiles prædicavit, adeoque primus Ecclesiæ apud utrumque populum fundamenta jecit. Petri enim prædicatione ac ministerio conversa sunt ad Christi fidem, primo tria Iudæorum millia Hierosolymis; tum postea Cornelii Centurionis familia Cæsareæ; quas Ecclesiæ omnis Christianæ utriusque primitias fuisse constat: illas quidem ejus, quæ ex Iudæis: has vero ejus, quæ ex gentibus collecta est. Hoc vero, quicquid est præcipui, quis non videt plane penitusque *personale* esse (ut loquuntur,) hoc est unius Petri ita proprium, ut in eo uno hæserit, neque ab eo cum alio aliquo communicari potuerit? Id enim totum in hoc uno situm est, quod primus omnium mortalium Domini Christi Evangelium promulgavit in terris: primus ad hoc ministerium os aperuit: primus constituendæ, ac fundandæ cœlestis domus manum, atque operam suam impendit, quod sane non parvum hujus viri decus fuit. Quæ sequuntur, *Et tibi dabo claves regni cœlorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: hæc inquam rationem eorum continent, quæ ei modo promiserat, Quod enim Petro Ecclesiam fundare contigit, id non aliter factum est, vel fieri potuit, quam quod

Actor. 2. 14. 41. Act 10. 5. 34. 47.

Matth. 16. 19.

quod Apoſtolatus munere erat prægitus. His autem Chriſti verbis ipſum Apoſtolatus munus videtur apertiſſime deſcribi: quibus Dominus ſimpliciter ſignificat ſe Petrum Doctorem in Eccleſia ſua, ac Magiſtrum conſtituturum, ad homines docendos, quæ vere ſint vel licita, vel ſecus, quæque vere à vel jubeantur, vel vetentur, vel concedantur. *Clavis* enim *magiſterii*, ſive *doctoratus* Symbolum erat apud Iudæos: quo non obſcure alibi alludit Chri-

Luc.11.52 ſtus, cum ait *legiſperitos clavem ſcientiæ tuliſſe*: *Cælorum* vero *regnum* paſſim, ac fere ſemper in Evangelicis libris *Eccleſiam Meßiæ*, ſignificat, qui & ipſiſſimus eſt hujus locutionis apud ve-

מלכות teres, & recentiores Iudæos ſenſus. Itaque

שמים Chriſtus Petro his verbis, *Dabo tibi claves regni cælorum*, promittit *Doctoris*, ſive *Magiſtri* (ut loquuntur Iudæi) munus, atque dignitatem: magiſtri inquam, non in Synagoga, ſed in Eccleſia: in Iſraële, non veteri & terreno; ſed novo, & cœleſti. Illa verò, quæ ſubjicit, *Tò ligare* & *Tò ſolvere*, novi illius, cœleſtiſque, quod ei promiſit, magiſterii, actus ſunt atque functiones. Quod ut intelligatur, obſervandum eſt in vulgari Iudæorum, quo tum Chriſtus loquebatur, ſermone, *ligare* idem fuiſſe, quod *vetare*, vel *vetitum atque illicitum aliquid pronuntiare*; *Solvere* è contrario *concedere*, atque *permittere*, & aliquid *licere*, *faſque eſſe* docere, ac

a אסור edicere. Vnde Iudæorum Magiſtris ſolenne eſt,

b quod *vetitum* intelligunt id *ligatum* [a] eſſe dice-

מתר re; contra *ſolutum*,[b] quod licere, ac per legem

aſur. mutar. aliquam liberum eſſe ſignificant. Chriſtus ergo ſignifi-

significat hanc Petri fore *in regno cœlorum*, hoc est in Ecclesia sua dignitatem, ut ejus Doctor, Magisterque sit: ad docendum gentes, quid fas, nefasq; sanctum; vel profanum sit, quid liceat, vel non liceat; multa verbi gratia *soluturum*, quæ vel Moyses, vel Gentilium etiam Sacerdotes *ligaverant*: multa *ligaturum*, quæ vel ignorantiæ error, vel vitiorum tyrannis *solverat*: omniaque illa tanta sapientia, tantaque, auctoritate gesturum, ut Deum ipsum doctrinæ suæ approbatorem ac vindicem sit habiturus. Iam vero hæc omnis dignitas, neque regia, vel monarchica, neque Petri sic propria est, ut non cæterorum quoque Apostolorum communis fuerit, quod non modo ex eorum actis & epistolis, sed ex ipsius quoque Christi verbis clarum ac manifestum est. Christus enim quod hic uni Petro, id ipsum alibi omnibus dicit Apostolis, *Amen dico* (inquit) *vobis, quæ-* Matth. 18. 18.
rumq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Sed neq; quicquam Petro proprium, ac singulare vindicant illa Domini ter repetita verba, quibus eum *oves suas pascere* jussit. Nam & aliorum Apostolorum fuit æque ac Petri & *pascendi* munus, omnium ipso 1. Pet. 5. 2
teste Petro, presbyterorum commune, & *o-* Marc.
mnium Dominicarum ovium cura: *Prædicate* 16. 5.
(inquit Christus omnes compellans) *Evangelium omni creaturæ*; & *instantia mea quotidiana* 2. Cor. 11. 28.
(inquit unus ex iis Paulus) *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Fateor pascendi munus ter Petro fuisse commendatum: quod de cæteris non legimus: sed hæc repetitio (quod à Patribus

recte est observatum) longe alio pertinebat; nempe eo ut triplici mandato purgaretur triplicis Petri abnegationis dedecus; quod quam sit à monarchiæ consilio alienum, omnes (ni fallor) intelligunt.

Cyrill. Alex in Ioan. 11. c.64.

II. Quod vero Christum Dominum didrachma pro Petro, cum Capernaumi esset, solvisse; pro cæteris Apostolis non solvisse observant, id nullum Petri in collegas regnum, aut principatum arguit. Id fortasse eo factum est, vel quod cæteri Apostoli illud tributum jam solvissent, vel quod tunc, cum hæc gesta sunt, abessent vel quod Capernaumi cives, quod erat Petrus, ipsi minime essent. Denique utcumque se res habeat, illa quidem, quæ hinc nectitur, consecutio plane mirabilis est: *Christus pro Petro didrachma solvit; Ergo Petrus totius Ecclesiæ Monarcha, ipsorumque Apostolorum princeps ac dominus vere fuit.*

III. Neque hoc efficacius ex eo concluditur, quod Matthæus Apostolorum omnium nomina recensens, sic orditur: *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.* Præses Senatoriæ classis cui præest, primus est; primus totius (ut vocant) capituli Decanus: Neque ideo quisquam hariolatur, vel Præsidem Senatorum suæ classis, vel Decanum Canonicorum sui capituli dominum, aut monarcham esse. Concedamus Petrum in Apostolorum collegio vel ob ætatem, vel ob egregias animi dotes, vel ob zelum, vel (quod veri simillimum est) ob vocationis ad id ministerium ordinem, eo loco ac numero fuisse, quo est in

Matth. 10. 2.

est in sua classe præses, vel in capitulo suo decanus: eo *primum* collegii & fuisse, & merito vocari nemo negaverit: collegarum *dominum* fuisse, nemo concesserit; nedum ut *monarcham fuisse* eo titulo effici, adversariis donare debeamus.

IV. Atque hæc satis sunt, ut demonstretur neque ex Scripturis colligi posse, illud sui Papæ, sane mirabile privilegium, ut in fidei rebus nunquam erret, ac ne errare quidem, si vel maxime velit, unquam possit. Cum enim quæcumque ad hoc paradoxum probandum afferunt, ex iis rebus petita sint, quæ Petri fuerunt; quis ea non videt ad Papam Romæ nihil pertinere, donec omnia Petri jura, eadem & sui Papæ esse ex Scriptura claris, ac necessariis rebus vicerint? quod istos ne tentaturos quidem unquam arbitror, nedum ut effectum daturos putem.

V. Eadem quoque est eorum ratio, qui *infallibilitatem* illam, *supremamque potestatem*, non quidem Papæ, ut plærique hodie, ac fere omnes illarum partium Theologi, sed Ecclesiæ Romanæ in universalem Synodũ congregatæ, quodamque modo contractæ tribuunt. Quicquid enim isti ex Scripturis pro sua hac sententia afferunt, id de vera Iesu Christi Ecclesia dictum est. Ergo, ut hoc loco indagare, ac disputare supersedeam, quid illud proprie ac vere sit, quod istis locis ei tribuitur; hoc in præsentia ad refellendas, quas isti hinc nectunt, rationes satis est negare quicquam eos in rem suam ex iis locis conficere posse, donec de-

monstraverint, homines qui in urbici episcopi communione vivunt, veram esse Iesu Christi Ecclesiam: quod quidem istos confido nunquam ex Scripturis probaturos.

VI. Iam cum summa illa auctoritas, quæ vel Papæ, vel ei subjectæ Ecclesiæ tribuitur, ex Scripturis demonstrari non possit; apparet neque sacris litteris niti, aut ex iis defendi posse, quæ ab hac una auctoritate pendere censentur, Qualia sunt verbi gratia de certorum ciborum quibusdam temporibus abstinentia decretum, quibus piscibus & leguminibus, atque oleribus vesci fas putatur, carnem gustare nefas habetur; item festorum non paucorum observatio, ministrorum quos *clericos* vocant, cœlibatus; calicis sacri interdictum, quo privantur omnes communicantes, eo uno excepto, qui eucharistiam confecit; & alia multa, quorum non aliam fere rationem adducere solent quam Papæ, & ejus, quæ Papæ paret, Ecclesiæ auctoritatem. Illud quidem certe satis, superque compertum atque exploratum, neque ista, neque quæ sunt ejusdem generis non pauca, ex Scripturis probari posse; ex quibus quæcumque ad hanc rem à nonnullis adducuntur, adeo sunt levia, & ab istorum caussa aliena, ut in iis vel commemorandis, vel refellendis immorari pigeat.

CAP.

CAP. XII.

Nusquam in Scripturis constitui quinque illa Sacramenta, quæ Latini præter Baptismum & Euchari-stiam, docent.

PErgamus ergo ad Sacramenta, quorum numerum legitimum auxerunt, quinque ad illa duo, quæ à Domino Christo instituta esse consentimus, adjectis. Quorum primum est *Confirmationis* (ut vocant) mysterium. Id soli Episcopi administrant; uncta in crucem baptizati hominis fronte, pinguedine ex oleo & balsamo certo ritu consecrata; tum impacta leni in maxillam alapa, & his solemnibus verbis inter cruce signandum pronuntiatis, *signo te signo crucis, & confirmo chrismate salutis in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*; atque hujus ritus vim ac finem esse statuunt, ut baptizatus confirmetur, ac muniatur contra persecutiones, & tentationes hostium. Altum de tota hac ceremonia in omnibus Scripturæ libris silentium. Alexander quidem, & Bonaventura celeberrimi veteris Romanæ Scholæ magistri, rotunde confitentur neque à Christo, neque ab Apostolis id quidquid est, Sacramenti fuisse institutum, quod etiam & Gabriel Biel, & alii non pauci referunt. Alii qui vident ritum hunc inter legitima Ecclesiæ Christianæ Sacramenta censeri non aliter posse, quam si idem fuerit à Domino Christo in- Biel. in 4.d.7.

ſtitutus, Scripturas varie torquent, ut in iis id quod per ſe nuſquam ineſt, arte & ingenio efficiant, ut ineſſe videatur; & teſtimonia hujuſmodi afferunt. quæ ipſi confitentur *non uſque adeo rem demonſtratura fuiſſe, niſi Eccleſiæ*
Soto in d.7.a.11. *ſuæ auctoritas interpres iis adeſſet.* Ex Actis obſervant iis quos Philippus Samariæ baptizaverat,
Act.8,17. *impoſitas fuiſſe* ab Apoſtolis *manus.* Sed non eſt *manus impoſitio* idem quod frontis ex balſamo in crucem unctio. Nihil in Actis de balſamo, vel de oleo, quo ſi iſtis credimus; continetur hujus Sacramenti materia; nihil de verbis, *Signo te, &c.* quibus conſtat ejuſdem forma, nihil de gratiæ juſtificantis ad reſiſtendum Eccleſiæ hoſtibus incremento, quem ritus finem eſſe fingunt. Non enim ex Lucæ narratione liquet vel balſamo unctos, vel crucis ſigno conſecratos fuiſſe eos, quibus manum impoſuiſſe dicuntur Apoſtoli. Finem ad quem Apoſtoli manus baptizatis imponerent, videmus quidem ex eodem libro, ſed ab aliptarum Latinorum mente penitus diverſum. Docet enim
Act 19.6. Lucas cum Paulus quibuſdam impoſuiſſet manus, *veniſſe* ſtatim *ſuper eos Spiritum Sanctum, & loquebantur,* (inquit] *linguis; & prophetabant.* Ergo Apoſtolica manus impoſitio, eo ſpectabat, ut linguarum & prophetiæ Spiritum baptizati acciperent: quod donum, ut quivis videt, extraordinarium eſt, & ad *gratiam* pertinet *gratis* (ut loquuntur ſcholæ) *datam*; nihil adeo commune habet cum gratiæ juſtificantis augmento, quæ *gratia gratum faciens* cenſetur ab illa altera multum diverſa.

II. Quam

II. Quam in epiſtola ad Hebræos *manuum impoſitionem* legimus, ea quod neque cum ulla unctione, conſignatione, vel conſecratione, conjuncta ſit, ab hoc quoque adverſariorum ritu aliena eſt, cujus & materia & forma, id eſt res tota, his actibus definitur ac cenſetur. Heb.6.2.

Sequitur Pœnitentia; quam nos neceſſariam eſſe fatemur; & datam Paſtoribus poteſtatem concedimus peccata tum pœnitentibus remittendi, tum impœnitentibus retinendi, juxta Dominicam promiſſionem: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Tantum negamus hunc vel peccatorum pœnitentium, vel Paſtorum remittentium actum eſſe, quod iſti volunt, Eccleſiæ Chriſtianæ legitimum Sacramentum; neqve quicquam ex Scripturis affertur, quo id dogma neceſſario, liquidoque conſtituatur. Ioan. 20 23.

Quod vero ad *confeſſionem* pertinet, quam mirifici hujus Sacramenti partem eſſe fabulantur, nos ſic cenſemus: Vnumquemque fidelem, antequam accedat ad menſam Domini, ſe ipſum probare debere; quod à Paulo ſcilicet diſerte præceptum extat: juberi vero in Scripturis omnem utriuſque ſexus Chriſtianum adire Sacerdotem, ſuaque ei ſigillatim peccata, etiam occultiſſima: in arcano revelare, unaque cum circumſtantiis, quantum meminiſſe poteſt, accuratiſſime narrare, neque aliter, quam hoc prius perfunctum ad communionem accedere, quiſquis peccati mortalis conſcius eſt, quantumvis contritus ac pœnitens fuerit: id inquam quod eſt Latinorum decre- 1. Cor. 11.28.

cretum, nos ſtrenue negamus. Illi quidem
Iac. 5. 16. hæc Iacobi verba recitant: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; ſed quæ nihil habent cum *auriculari* ipſorum confeſſione commune. Reſpondeat pro nobis ex eorum ſinu egregius imprimis, ac nobilis Scriptor, Thomas Cardinalis Cajetanus, qui adeo nobis non favit, ut etiam in Germaniam à Papa urbis adverſus Lutherum Legatus ierit. Is hunc Iacobi locum Romæ, annum ætatis ſexageſimum ſecundum egreſſus, maturus ævi & ingenii, in magno otio commentans; *Nec hic Sermo* (inquit) *eſt de confeſſione Sacramentali; ut patet ex eo, quod dicit*, Confitemini invicem (*Sacramentalis enim confeſſio non fit invicem, ſed ſacerdotibus tantum*) *ſed de confeſſione, qua mutuo fatemur nos peccatores, ut oretur pro nobis, & de confeſſione hinc inde erratorum pro mutua placatione & reconciliatione.*

Idem quoque Cardinalis ingenue fatetur
Eph. 5. 32 perperam ex Paulo illud citari, *Sacramentum hoc magnum eſt*, quo probetur conjugium unum ex legitimis Chriſtianorum Sacramentis. *Non habes ex hoc loco, prudens lector, à Paulo conjugium eſſe Sacramentum. Non enim dicit* Sacramentum, *ſed* myſterium hoc magnum eſt, *& vere myſterium verborum horum magnum eſt*. Verba dicit, quæ Paulus ex Moyſe verſiculo ſuperiore deſcripſerat; *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*

Iam de Ordinibus, quid dicam? Confeſſum eſt Apoſtolos iis manus impoſuiſſe, quos ſancto E-

cto Evangelii ministerio consecrabant; eumque ritum, veluti pium ac laudabilem, nos sedulo observamus, quoties apud Ecclesias nostras Pastores ordinantur. Hunc vero actum unum esse ex communibus, legitimis, ac proprie dictis Christianorum in novo fœdere Sacramentis, id & à Scripturis & ab ipsa ratione ita alienum est, ut nullo colore fucari queat.

Superest *extrema unctio*; cujus hic ritus est, ut hominis periculose, & ad mortem ægrotantis, quædam membra oleo sanctificato, verbis in precum morem conceptis, à presbytero linantur, ut is & peccatorum remissionem, si quæ reliqua sunt, accipiat, & ad eum agonem, qui in supremis urgere nos solet, & ad ipsum de hac in cœlestem vitam transitũ muniatur, ac corroboretur. Hic vero in bustuario hoc Sacramento triumphare potissimum solent vitilitigatores Methodici, minutique Sophistæ; & nostris Iacobi locum in hanc rem (ut ipsi quidem affirmant) disertissimum, quem in promptu semper habent, magnis clamoribus objectant; ab hac ultima, ac tantum non funebri suæ religionis nænia suarum fere disputationum certamen, pessimo, ut videtur, omine adorientes. *Infirmatur quis in vobis?* (inquit Iacobus) *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Sed & hic pro nobis iterum respondeat Cajetanus Cardinalis: *Nec ex verbis* (inquit) *nec* Iac. 5. 14. Caiet. in locum.

nec ex effectis verba hæc loquuntur de Sacramentali unctione extremæ unctionis, sed magis de unctione, quam instituit Dominus Iesus à discipulis exercendam in ægrotis. Textus enim non dicit, Infirmatur quis ad mortem? *Sed absolute,* Infirmatur quis? *& effectum dicit* infirmi alleviationem, *& de remissione peccatorum, nonnisi conditionaliter loquitur; cum extrema unctio nonnisi prope articulum mortis detur, & directe, ut ejus forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc, quod Iacobus ad unum ægrum multos presbyteros tum orantes, tum ungentes mandat vocari: quod ab extremæ unctionis ritu alienum est.*

CAP. XIII.

Non docere Scripturam vel Clericos à potestatum civilium jugo immunes esse, vel Papam in eosdem aliquid juris, quod ad temporalia pertinet, habere.

DEnique neque illud video, qui possit ex Scripturis demonstrari, vel Cleri immunitas, vel Papæ in Principes potestas temporalis: quæ utraque à Romanæ curiæ adulatoribus defenditur.

Ad priorem confirmandam afferunt, quod Christum Petro dixisse ex Evangelio accepimus: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis suis, an ab alienis?* Et quod cum

Matth. 17.25.26.

cum Petrus respondisset, *ab alienis*, conclusit Iesus, *Ergo liberi sunt filii*. Respondeo his Domini verbis nequaquam demonstrari Clericos à solvendo Principibus, in quorum ditione vivunt, tributo esse jure divino (quod isti volunt) immunes. Primo enim non apparet illo didrachma, de quibus eo loco agitur, civili Magistratui soluta fuisse. Veri multo similius videtur ea de dimidio illo unius sicli esse intelligenda, quod singuli Israelitæ, qui annum suæ ætatis vicesimum essent egressi Deo in capita ad Sanctuarii usus pendebant ex diserto Mosis mandato. Id vero tributum nihil commune habuit, cum iis quæ ad reipublicæ usus Principi à civibus solvuntur. Deinde fac didrachma (quod profecto falsum est) civile tributum fuisse; illud quidem certe constat Dominum ab hujusmodi tributorum solutione non alium eximere, quam se ipsum. Iam etsi Christus, nulli Magistratui etiam qua homo erat, jure subjiceretur; eo tamen non fit, ut Ecclesiæ ministri eodem quoque iure sint. Major enim Domini est à servis suis differẽtia, quam ut ab illo ad hos argumentari liceat. Denique etiamsi Apostolos ea immunitate frui jus fuisset toto eo tempore, quo Christus in terris vixit: non ideo tamen sequeretur vel ipsos, vel eos qui in sacro ministerio successerunt, episcopos & presbyteros, eadem immunitate post Domini in cœlos ascensionem gaudere debuisse. Ratio discriminis clara est. Apostoli enim, Christi, quamdiu is in terris vixit, familia etiam civiliter, fuerunt; quod eum seque-

Exod.30. 11.12.13. 14.15.16

ſequerentur, eique miniſtrarent: adeoque & hac ejus immunitate, heri nempe beneficio, gaudere debebant. Poſtquam vero Chriſtus in cœlos aſcendit, ſoluta eſt hæc ejus familia; Neque enim ab eo tempore vel Apoſtoli, vel alii miniſtri, Chriſti familia cenſeri poſſunt; civiliter inquam. Quod vero etiam nunc, *familia ejus*, & ſumus, & dicimur, id ſpiritualiter & myſtice accipiendum eſt, & ad religionis ac pietatis, non ad rerum humanarum jura pertinet; quæ (ut notum eſt) integra atque intacta ſinit Evangelium. Quod ſi myſtico illo familiæ Dominicæ jure nititur iſta quæ ab adverſariis defenditur, clericorum immunitas; profecto ſequetur non ſolos clericos, ſed omnes omnino Chriſtianos liberos ab hoc jugo, atque immunes eſſe debere; quorum ſcilicet nemo eſt, qui non ſit de Chriſti familia hoc quidem ſenſu. Iam vero quam ſit hoc non modo iniquum, ſed etiam abſurdum, ac peſtiferum, & ab omni tum ratione, tum Evangelica diſciplina alienum, vel pueri ſciunt.

II. De poteſtate vero quam Papæ Gnathones hero ſuo in Principes ſive directe, ſive indirecte, etiã in rebus temporalibus, vindicãt, nihil nos dicere neceſſe eſt, vel ea quæ ad hanc tyrannidem conſtituendam, de Scripturis torquentur, expendere, ac ſolvere operoſius, quod hæc uſque adeo abſurda ſint, & à concluſione, ad quam probandam adhibentur, aliena, ut etiam adverſariorum pars ſanior, ac pæne major, repugnet, & iſtorum aulæ Romanæ paraſitorum de hac parte diſputationem explodat

plodat, ac nobiscum refellat; præsertim in florentissimo hoc Galliarum regno; in quibus magno Dei beneficio, nondum obtinere potuit summus ille atque ultimus Papalis in Ecclesiam tyrannidis apex.

CAP. XIV.

Refellitur futilis adversariorum exceptio, cavillantium quæ superius commemorata sunt ea, tametsi non extent in Scripturis, fuisse tamen ab Apostolis Domini Iesu tradita.

Atque ita planum fecimus istorum, quæ Romani quidem fidei suæ capita censent, nos vero constanter rejicimus, ac repudiamus, nihil esse, quod è Scripturis demonstretur.

Sed illi fortasse respondebunt, hæc, etsi non extent in divinis libris, fuisse tamen & à Domino revelata, & ab Apostolis viva voce Ecclesiæ tradita; quod Scriptura scilicet nequaquam omnia Christianæ doctrinæ capita contineat; multa enim fuisse, non litteris mandata, sed traditionis beneficio servata, & ad hæc usque tempora propagata. Ego vero respondeo primum, quod horum dogmatum nulla facta esse reperitur in divinis noui fœderis libris mentio eo ipso satis, si res accurate expendatur, demonstrari illa neque à Domino Christo revelata, neque ab Apostolis vel agnita, &

ta, & credita, vel Ecclesiæ tradita, ac commendata, velut ad fidem & salutem necessaria. Si enim hæc quo sunt hodie apud Latinos loco ac numero, eo ipso jam tum apud Christianos erant, si vel inter capitalia religionis dogmata, vel certe inter sanctissimos, maximeque necesssarios Dei cultus censebantur; qui factum est, ut sanctissimi sapientissimique viri nulli horum meminerint in iis libris, quos ex professo de rebus divinis, & ad religionem Christianam pertinentibus, tam multos conscripserunt, quique summa numinis cura ac providentia conservati adhuc exstant? Quis crediderit talia omnes Evangeliorum auctores prætermissuros fuisse? nullum de his verbum facturum fuisse vel Lucam in Actuum volumine, vel Petrum, vel Iacobum, vel Ioannem, vel Iudam, vel Paulum denique in epistolis, quas ab ipsis editas non contemnendo numero etiam hodie legimus? Ac unius quidem Pauli quæ extant quatuordecim epistolæ tam sunt uberes, tam omni cœlestis doctrinæ copia refertæ, ut monstri simile videatur quicquam, quod quidem sit alicujus ad pietatem momenti, à diligentissimo Scriptore in hujusmodi operibus omissum. Non jam urgeo, libros istos fidei Christianæ canonem & esse revera, & ab omni retro Ecclesia eo semper nomine habitos fuisse; quos apparet divinitus eo consilio scriptos, atque editos esse, ut in iis velut in æterno quodam, certo, atque indubitato monimento, omnis pietatis doctrina in omnia sæcula inviolata, atque incolumis extaret, ac servaretur. Fingamus, quod Latinis præter omnem

omnem rationem placet, temere atque ex fortuitis occaſionibus, nullo tradendæ nobis totius fidei conſilio, ſcriptos fuiſſe; Illud quidem certe negari non poteſt, de rebus fidei ſcriptos pœne ad unum omnes eſſe. Iam plane, penituſque incredibile videtur tam multos, tanta ſapientia excellentes viros, de fidei rebus tam multa, tamque diverſa opuſcula ſcribentes, omnes, velut aliqua inter ſe conſpiratione, ac conjuratione facta, ea quæ in iſto, de quo ſcribebant genere, præcipua erant, tacuiſſe. Quomodo nullum iis in tam multis libris verbum de Miſſæ ſacrificio excidit, quod ſi iſtis credimus, totius religionis prora, ac puppis eſt? Qui-nam accidit, ut quæ hujus unicum fundamentum eſt, *tranſſubſtantiatio* à nemine eorum commemorata fuerit? ut hoſtiæ adorationem, pietatis Latinæ jecur, ac pæne corculum, omnes indictam ſiverint? de ſacrarum imaginum veneratione, de arcana confeſſione, de Sanctorum cœlitum invocatione, eximiis planeque ex iſtorum quidem diſciplina, neceſſariis officiis, nemo eorum vel unum μὸ in litteris ſuis ſcriptum reliquerit? Cur nulli venit in mentem de præſtando Papæ obſequio præcipere? vel ejus auctoritatem commendare; in qua, ſi κυρίας Latinorum δόξας audimus, velut in uno rei Chriſtianæ cardine, omnis hominum fides, vita, ac ſalus vertitur? Nunc quidem, & ab aliquot retro ſæculis nullus, quantumvis brevis, aut exiguus de religione liber ſcribitur, in quo non paſſim occurrant hæc iſtorum dogmata, & merito quidem, ſi tanti revera ſunt, quanti à Latinis fiunt. Neque-

que enim ea si ita res habet, taceri sine flagitio possunt in iis quidem sermonibus & libris, qui de religione instituuntur; de qua qui verba apud homines sic facit, ut quæ sunt in ea necessaria atque capitalia prætermittat, is auditorum, vel lectorum salutem prodit. Esto ergo novi fœderis scriptura, *canon* (ut isti volunt) *mutilus, atque imperfectus*; esto epistola (ut vulgo loquimur) *credentialis* (quod Perronio nostrati purpurato somnium placuit) esto denique quicquid istis libuerit; illud quidem clarum certumque est eam non contemnendum librorum, atque opusculorum numerum continere: quod mihi ad hoc satis est, ut incredibile videatur nusquam in iis ullam fieri mentionem eorum dogmatum, quæ Apostoli & nossent & existimarent ad rem pietatemque Christianam scitu, ac creditu esse necessaria.

Id vero eo etiam incredibilius videtur, quod ea sæpe occurrant in his scripturis loca, in quibus istorum dogmatum cum scriptoris consilium, & rerum, quas tractat, ingenium, mentionem fieri flagitaret, nullam tamen factam deprehendimus. Ecce enim (ut exempla de multis aliquot afferamus) cum Paulus capite septimo ad Hebræos prolixam instituat Christi cum Melchisedeco comparationem; cum divinam illam epistolam de uno Domini Sacerdotio pæne totam scripserit; quis non ipsum rei argumentum flagitasse videt, ut in hujusmodi loco *altaris* (quod appellant) Sacrificium memoraret & in primis doceret eas ipsas species, sub quibus id nunc offertur Deo, jampri-

jampridem oblato à Melchiſedeco pane ac vino fuiſſe admirabiliter, planeque myſtice adumbratas? Paulus vero iſtorum nihil dixit. Sed quid negavi eum iſtorum quicquam dicere? Imo vero longe majus eſt quod dicam. Ille enim non modo iſta non dicit, quæ ex Latini dogmatis hypotheſi, omnino erant hoc loco dicenda: ſed inſuper ea dicit, quæ cum Latino iſto dogmate adeo irreconciliabiliter pugnant, ut ejus patroni fruſtra in iis explicandis ſudent.

Idem Apoſtolus Corinthiorum in cœnam Domini irreverentiam in priore quam ad eos ſcripſit epiſtola, multis verbis fuſe, ac vehementer caſtigat: quod ſuas epulas cum ſanctiſſimo hoc Sacramento indecore permiſcerent. 1 Cor.11
Nihil ad hanc diſputationem opportunius, aut efficacius afferri poterat, quā tranſſubſtātiatio, & Sacramenti adoratio: Si Paulus iſtos monuiſſet, non eſſe panem, quod in euchariſtia ſumimus, ſed ipſum Dominum gloriæ; ipſum illud corpus, vere ac realiter, quod pro nobis crucifixum, omni cultu, atque adoratione, ipſaque etiam latria dignum eſt. Neque ego dubito ſiquis nunc Latinorum Theologorum idem argumentum forte oblatum tractet quin hanc ille rationem vel ſolam, vel certe imprimis allaturus, ac in tota diſputatione diligenter inculcaturus ſit. Apoſtolus de ea ne γρυ quidem; quin & quod multo magis mireris, Sacramentum, quoties de eo loquitur, *panem* conſtanter vocat, non modo falſo (ſi Latinorum dogma verum eſt) ſed etiam abſurdo, &

P præ-

præpoſtero nomine: quo ſcilicet ea res, quam Apoſtoli conſilium eſt commendara, adeoque efferre ac extollere, plurimum infra ſuam dignitatem dejicitur.

Idem epiſtolæ ad Romanos ſuæ capite duodecimo, ad Epheſios quarto, ad Coloſſenſes tertio, & aliis paſſim locis Chriſtianæ tum pietatis in Deum, tum caritatis in proximum officia fuſe, ac diligenter exſequitur, De arcana confeſſione, de Sanctorum invocatione, de imaginum veneratione, & cæteris ejuſdem cenſus, verbum facit nullum.

In priori ad Theſſalonicenſes epiſtola de
1, Theſſ. 4. noſtro in lugendis carorum nobis hominum mortibus officio diſſerit: orationis pro mortuis, cujus hic erat locus, nullus meminit.

Corinthiorum diverſa ſtudia, ac ſciſſiones, factioneſque Eccleſiaſticas in ipſo ſtatim limine prioris epiſtolæ, quam ad eos dedit, graviſſime reprehendit (De Petri cathedra, quæ unum eſt, ſi Latinis credimus, Chriſtianæ unionis vinculum, nihil dicit.

Ejuſdem epiſtolæ capite duodecimo, & in ejus, quæ ad Epheſios eſt, quarto, ea munera, quæ ſunt à Domino in Eccleſia inſtituta recenſens, Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, & Doctores nominat. De Papis, quos tali loco & tempore, omittere, ſi cognitos habuit, ſine flagitio non potuit, tacuit tamen.

1. Tim. 3 In priore ad Timotheum, & in ea, quæ eſt
3.1 3.2.6 ad Titum, quæ in Epiſcopis, ſive preſbyteris, &
Tit. 1 6. in Diaconis ad horum munerum dignitatem, requiruntur, ea fuſe enarrat, atque exponit.

Cur

Cur cœlibatum iſtic ſiluit, ſi hujus ordinis hominibus neceſſarium putauit?

Petrus in prioris epiſtolæ inſcriptione ſe *Ieſu Chriſti Apoſtolum eſſe* dicit, & in ultimo ejuſdem operis capite ſenioribus, ſive preſbyteris, quæ ad eorum officium pertinent, enixe commendans, quo ſua hæc exhortatio plus haberet momenti, profitetur ſe ipſorum *conſeniorem*. Cur ei non venit in mentem his locis titulum uſurpare *Monarchæ Eccleſiæ*, vel *ſervi ſervorum Dei*, id eſt Principis, atque apicis omnium ſervorum Dei, qui ſunt in toto orbe terrarum? (hoc enim ne fallaris id elogium ſignificat) Quis non intelligit hæc hujuſmodi locis ac temporibus omitti à ſanctiſſimis illis Scriptoribus, ſiquidem ea cognita habuiſſent, ſine magna imprudentia, ſine inſigni quodam ſtupore, vel certe flagitio non potuiſſe? At vel illa ipſa, quæ extant opera, etiamſi nobis alia omnia rei argumenta deeſſent, ſatis teſtantur, quam ii prudentes, ac ſapientes eſſent, quamque acres, ac diligentes in iis omnibus, quæ cauſſis, quas agunt, ſervire & prodeſſe poſſunt, ſcrutandis, & cum judicio diligendis, atque adhibendis. Lege divinas Pauli & Petri epiſtolas. Nullum alium teſtem deſiderabis. Vnum ergo, hoc ſupereſt, ut eorum perpetuum conſtansque de Latinorum dogmatis ſilentium, etiam ubi ad rem pertinebat ea proferri, certo demonſtrare confiteamur hæc illos profecto neſciviſſe. 1. Pet. 1. 1. & 5. 1.

Sed iſta à Chriſto revelata, & ab Apoſtolis tradita fuiſſe, ſi non poteſt ex Scripturis probari,

ri; non equidem video qua alia ratione, quove argumento id demonſtrari queat. Veterum enim Doctorum, qui vulgo *Patres* dicuntur, neque auctoritas tam certa eſt, neque teſtimonia tam perſpicua, ac diſerta, ut ſatis ſint ad iſta conſtituenda, & inter neceſſaria fidei capita reponenda; quod abunde, ac (niſi me fallit animus) valide atque dilucide in eo opuſculo demonſtravimus, quod eſt à nobis de eo proprie argumento editum. Eccleſiæ vero Romanæ, quæ nunc eſt, auctoritas, quod ipſa dubia ac controverſa, neque his ipſis, de quibus quæritur, dogmatis credibilior ſit, inepte & perperam eo affertur, ut iſta divina & Apoſtolica eſſe credamus. Cum ergo & fidei noſtræ dogmata ſint in Scriptura & quæ his Latini adjecerunt, ab ea abſint, nunc conſtat, & certam, atque indubitatam eſſe religionem noſtram, eo documento nixam ac fundatam, quo nullum eſt apud Chriſtianos certius, atque divinius; Romanam vero quatenus quidem à noſtra diſcrepat, dubiam eſſe & incertam, quod ea, quæ præter nos, decrevit, cum literarum ſacrarum auctoritate careant, certa plenaque fide credi non poſſint.

Sed & ſecundo reſpondeo illam ſuperius allatam objectionem à præſenti cauſa totam eſſe alienam, Hic enim unum hoc agitur, ut & quæ nos credimus, in Scriptura, & quæ Romani credunt, nos rejicimus, extra eam eſſe demonſtretur; quo iniquiſſima refellatur Methodicorum accuſatio, contendentium nos

ipſos

ipſos ad alia, quam Scripturæ, præſidia in fidei noſtræ probatione confugere. An Romæ, quas rejicio, definitiones in aliis extra Scripturas documentis, ut in veterum Patrum libris, reperiantur, nec ne, id ad aliam diſputationem pertinet. Nunc quidem id mihi ſatis eſt, quod eæ nuſquam in Dei Scripturis occurrunt, ex quo, ut liquet, evidenter ſequitur merito ex noſtra fide ac confeſſione fuiſſe à nobis rejectas & excluſas, qui nihil in eam admittendum cenſemus, quod non doceatur in Scripturis. Id ipſum nemo non videt ad noſtram ex Scripturis fidem probandam abunde eſſe.

CAP. XV.

Romanæ religionis dogmata, quæ à nobis repudiata ſunt, cum Scripturis divinis pugnare; nedum ut ex iis legitime probari queant.

SEd ad probationum noſtrarum cumulum illud poſtremo loco ἐκ περιουσίας adjiciendum exiſtimavi, Romanæ religionis, quæ nos repudiamus, dogmata, præterquam quod ea ex Scripturis, quod nuper oſtendimus, conſtitui, probarique non poſſunt, etiam cum iis pugnare reperiuntur, multaque vel affirmare quæ Scriptura negat, vel negare, quæ illa affirmat.

I. De Sacrificio.

1. Ajunt Romani *Iesum Christum quotidie*
Hebr. 9. 25.26.27 28. & 7. 27. *innumerabilibus locis in sacrificium pro peccatis & offerri nunc, & ad seculorum finem oblatum iri.* Scriptura negat *eum semetipsum sæpe offerre*; ait *semel oblatum ad exhaurienda multorum peccata, quemadmodum hominibus statutum est semel mori.*

2. Ajunt Romani *Christum pro peccatis nostris in Sacrificium sic offerri, ut nihil tamen patiatur.* Scriptura docet eum, *Si sæpe semetipsum obtulisset, oportuisse frequenter pati ab origine mundi.*
Hebr. 9. 26.

3. Ajunt Romani *in suo illo altaris sacrificio peccatorum remissionẽ fieri sine sanguinis effusione.* Scriptura exserte negat *sine sanguinis effusione fieri remissionem.*
Hebr. 9. 22.

4. Scriptura ait Christo in cruce moriente *consummatum esse*, eumque antequam in cœlos ascenderet, & ad Patris dexteram sederet, *δι᾽ ἑαυτοῦ per semet ipsum purgationem peccatorum fecisse, peccatumque destituisse*, sive *abolevisse.* Quomodo cum his consistere potest, quod Roma docuerit *Christum etiam* nunc post ascẽsionẽ in cœlos suam quotidie ad remissionem & abolitionem peccatorum offerri ac immolari?
Ioan. 19. 30. Heb. 13. & 9. 26.

5. Scriptura negat *quemquam sumere sibi honorem Sacerdotii: sed qui vocatur à Deo tamquam Aarôn*, eum demum Sacerdotio frui docet: Romani suis presbyteris Sacerdotii honorem vindicant, quos â Deo ad hanc dignitatem vocatos neque ostendunt, neque ostende-
Heb. 5. 4.

re possunt.

6. Ait Scriptura *Christum Sacerdotem esse in æternum; manere Sacerdotem in perpetuum, sempiternum habere Sacerdotium, semper vivere ad interpellandum pro nobis, Sacerdotem esse in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Romani, si hæc vere credunt, cur Christo in cœlis viventi tot in terris Sacerdotes sufficiunt? Heb. 5. 6. & 7. 3. 24. 25. 28. 17.

7. Ajunt Romani *corpus Christi à suis Sacerdotibus benedici ac consecracri, & in Sacrificium offerri.* Ait scriptura *sine ulla contradictione quod minus est à meliore benedici.* Ergone Romani sacrifiucli Christo meliores? vel Christus sacrificulis minor? Heb. 7. 7.

II. *De transsubstantiatione, & reali Christi præsentia.*

I, Roma negat *panem id esse, quod fideles in Eucharistia acceptum à ministro edunt;* Scriptura id ipsum *panem* esse diserte, ac liquido pronuntiat. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne reus, erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. 11. 25. 27. 28. 1. Cor. 10. 16.

2, Negant Romani *vinum fuisse, id quod Apostoli in sacro calice à Domino porrectum biberunt.* Scriptura ait *genimen vitis fuisse. Iesus*

Matth. 26. 27. 29. *accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, &c. Dico autem vobis: Non bibam à modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

3. Negat Scriptura *nos Christum semper* Matth. 26. 11. *hic habituros, ubi pauperes nobiscum habemus.* Ioan 12. 8 Ait *oportuisse cœlum eum suscipere usque in tem-* Act. 3. 21. *pora restitutionis omnium.* Quomodo hæc cum eo stare possunt quod ajunt Romani se ipsum Christi corpus in altaribus suis quotidie & in perpetuum secum hic habere?

4. Clamat omnis Scriptura *Christum in cœlis ad Patris dexteram in summa gloria sedere.* Docent Romani Christum sub vilissimæ creaturæ, anima, & sensu carentis, speciebus delitescere; in hominum mortalium, sæpe etiam sceleratissimorum, ventriculos demitti; multis aliis inhonestis, atque infandis, quæ vel cogitare horret animus, esse obnoxium. Hoccine est *esse in statu gloriæ?*

5. Ajunt Romani in qualibet sacri panis, etiam minima, mica, & in qualibet sacri vini gutta totum, atque integrum Christi corpus inesse; sicut ejus caput, manus, femora, pedes, omnes denique partes in uno eodemque loco alias in aliis, sese mutuo penetrantes esse; ac sanctissimum illud corpus & sursum in cœlis, gloriosum ac visibile, & deorsum in terris, & quidem sexcentis locis, invisibile atque insensibile, uno eodemque temporis puncto simul ac semel existere. Qui stant hæc cum eo, quod docet Scriptura Christum *fratribus*

(id

(id eſt veris hominibus) *per omnia ſimilari*, excepto (quod alibi diſerte monuit) peccato? Eſtne aliquis fidelium (hos enim Scriptura *Domini fratres* dicit) cujus corpus hujuſmodi rerum ſit capax? Fidelium caro verum corpus eſt, eadem plane natura, iiſdéq; proprietatibus præditum, quæ in cæteris phyſicis corporibus videntur. Hujus vero generis nullum unquam in rerum natura viſum, vel auditum eſt corpus, quod locus ipſius mole plurimis partibus minor, atque anguſtior caperet, cujus duo extrema, quantumvis à ſe invicem quinque, vel ſex pedibus ſemota, in unum punctum coirent. Heb, 2. 17. & 4. 15.

III. *De Euchariſtiæ adoratione.*

Iam cum Euchariſtiam ex his panem eſſe conſtet, nihil aliud neceſſe eſt in ejus adorationem proprie præterea dici. Hoc ipſo quod panis eſt, omnes vident ſummum qui ei à Romanis defertur, *latriæ* cultum cum Scriptura vehementer pugnare; quæ à capite ad calcem nihil nobis neque ſæpius, neque diſertius, neque ſeverius, aut acrioribus propoſitis pœnis vetat, quam cujuſvis creaturæ adorationem. Exod. 20.3. *Non habebis Deos alienos coram me. Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies.* Matth. 4 10.

IV. *De Purgatorio,*

1. Ajunt Romani ſæpe ac plerumque fieri, ut qui in fide Ieſu Chriſti mortui ſunt, eorum

rum tamen animæ Dei judicio in ignem, gehennæ flammis similem, mittantur, eoque diu
Apocal. 14. 13. Rom. 8. 1. 2. Cor. 5, 1, 6, 8. crucientur. Scriptura eos *beatos* esse pronuntiat; *à laboribus suis quiescere*; *nihil ipsis damnationis esse*; *eos, cum terrestris domus hujus habitationis dissolvitur, ædificationem ex Deo habere, domum non manufactam, æternam in cœlis: dum sunt quidem in corpore, peregrinari à Domino: cum vero peregrinantur à corpore* (id est cum ex corpore discedunt) *præsentes esse ad Dominum*: Narrat eadem & Lazarum corpore
Luc. 16. 22. 25. Luc. 23. 43. solutum in refrigerio ac gaudio statim fuisse apud Abrahami sinum, & latronem è cruce, in qua conversus est dereptum, eo ipso die in paradiso fuisse cum Domino.

2. Aiunt Romani quædam ex nostris peccatis subterraneo illo igne purgari. Affirmat Scriptura *sanguinem Iesu Christi emundare nos*
1. Ioan. *ab OMNI peccato.*

V. *De Iustificatione.*

Docent Romani nos *partim fide, partim operibus justificari.* Scriptura negat
Gal. 2. 16. Tit. 3. 5. Eph. 2. 5. Rom. 3. 24. Rom. 11. 6 *justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*: Ait Deum, *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecisse*; *gratia nos justificari & salvari*; *quod autem ex gratia fit, jam non ex operibus* fieri: *alioqui gratiam jam non esse gratiam*: & *ei qui operatur, mercedem non imputari secundum gratiam sed secundum debitum.* Item negat nos ita justificari, ut sit unde *quis*

de *quis glorietur*; ei autem, *qui ex operibus justificatus est*, ait esse unde *glorietur*. Eph. 2.9. Rom. 4.2

VI. *De bonorum Operum merito.*

1. Docent Romani posse fideles vitam æternam suis operibus *ex condigno* mereri, ita ut si eos Deus illo præmio fraudaverit, injuste facturus sit. Scriptura jubet *nos, cum fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, dicere, servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17. 10.

2. Ajunt Romani vitam æternam operum nostrorum proprie dictam mercedem esse, nobis ex jure & ex *condigno* debitam. Scriptura eam *Dei donum, Dei gratiam, Dei misericordiam* vocat; docetque Deum, etiam iis ipsis qui *illum diligunt, & præcepta ejus custodiunt, misericordiam facere.* Rom. 6. 23. 2. Tim. 2.8. Exod. 20. 6.

3. Ajunt nunc Romani patientiæ & virtutum cæterarum, quas hic exercent fideles, suam esse ad vitam æternam rationem, certamque proportionem, qua hac illæ ex jure dignæ sint scilicet. Romanis olim Scriptura negabat *esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

4. Ajunt Romani, qui pie sancteque vixerit, ei vitam æternam à Domino ex jure deberi: Scriptura Romanos proprie, nosq; una cum iis docet, Deum nihil cuiquam debere. *Quis prior* (inquit) *dedit illi, & retribuetur ei?*

VII. *De cultu Sanctorum.*

1. Scriptura eos damnat, veluti *Deum ignorantes,*

tes, qui δυλεύουσι *dulia colunt eos, qui naturâ non sunt Dii.* Romani Sanctis δυλεύουσι, Sanctos *dulia* colunt; imo & quosdam *hyperdulia*: quorum tamen nemo est, qui natura Deus sit.

2. Deus in Scripturis diserte vetat, ne alium quemquam præter se unum, vel *latria*, vel etiam *dulia* colamus: sic enim Samuel de Domino Deo loquens præcipit, Δουλεύσατε αὐτῷ

1. Reg. (Hebr. 1. Sam.) 7. 1.

ΜΟΝΩ. *Ipsi SOLI DULIAM exhibete.* Latini verò Deum *latria* solum quidem colendum confitentur; *SOLUM DULIA* negant, quam Deus suis omnibus & exhibendam esse docent, & exhiberi à suis jubent; Mariæ v. Virgini, beatissimæ Domini matri, etiam *hyperduliam* vindicant, id est religiosum cultum etiam, eo majorem, quem Deus soli uni, non autem ulli alii, exhibendum esse præcepit.

3. Reg. 8. 39. Eccles. 9. 5. 6. Iob 14. 21. 4. Reg. 22. 20.

3. Scriptura docet *Deum SOLUM nosse cor omnium filiorum hominum, item mortuos nihil nosse amplius, neque partem habere in hoc sæculo, & in opere, quod sub sole geritur: neque intelligere, sive nobiles fuerint filii eorum, sive ignobiles: neque videre omnia mala, quæ Dominus inducit super locum*, in quo *vixerint*. Romani tradunt sanctos mortuos nosse, quæ in terra geruntur, & abditissimas etiam cordium nostrorum cogitationes videre, ac cognitas habere.

VIII, *De imaginum cultu.*

Romani ædes non modo sacras, sed etiam privatas, virosque ipsos, & angiportus, & compita & portas civitatum, & loca denique omnia

omnia imaginibus Dei, Patris, Filiique, ac Spiritus Sancti, beatissimæ Virginis, & Sanctorum omnigenûm, & in tabulis depictis, & ex ære fusis, & ex materia, marmoreque, & saxo sculptis complerunt. His *adorationem analogicam* decernunt; has suos salutare, osculari, nudo capite, genibusque humi positis venerari jubent; his cereos accendere, corollas, flores sertos, solutosque offerre; ad sacra earum loca, etiam longinqua, religionis ergo peregrinari volunt. Quid Scriptura? Audi. *Locutus est* (inquit Israelem appellans) *Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, & formam penitus non vidistis. Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi uel fœminæ.* Item, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Item, *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.*

Deut. 4. 12. 15. 16.

Exod. 20. 4. 5.

Lev 26. 1.

IX. *De Papæ Monarchia.*

1. Romani statuunt Papam suum supremum esse mundi judicem, Monarcham Principibus, proceribusque suis stipatum, Regibus dominantem, qui pedum suorum calceamenta omnibus, etiam præcipue dignitatis viris oscu-

landa

landa porrigat; qui triplicem coronam gestet; qui Christianos Reges, Principes, Dynastas, respublicas judicare, & in eos non spiritualibus tantum, sed etiam temporalibus pœnis animadvertere jure suo possit. Obsecro te, quomodo hæc talis, tantaque potestas, quomodo hæc pompa, qua ab aliquot sæculis Romæ inspectante ac indignante nequicquam terrarum orbe, geritur atque exercetur id quicquid est dignitatis, cum istis Christi ad Apostolos mandatis? *Reges Gentium dominantur iis; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator?* Item, cum his Petri ad suos com-
1. Pet. 5. 3. presbyteros verbis, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo?*

2. Contendunt Romani, certe plerique, Papam esse supra Ecclesiam. Atqui Scriptura Petrum, & quemvis Christianum, si quid ei sit adversus fratrem querelæ, & ad Ecclesiæ tribunal amandat, & quod Ecclesia judicaverit, ei
Matth. 18. 15. 16. 17. stare jubet. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Alii autem *omnia Ecclesiæ esse*, ipsum
1. Cor. 3. 22. etiam nominatim, *& Cepham* & *Paulum* affirmat; & Apostolos diserte ait *Ecclesiæ servos esse*
2. Cor. 4. 5. *per Iesum.*

3. Do-

3. Docent Romani Petrum cæterorum Apostolorum summum fuisse Dominum. Cur eum, si ita est, Scriptura non *primo*, sed secundo tantum loco recenset; *Cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes &c.*? Cur eum cæteri Apostoli ad Samaritanos *miserunt*? Cur Paulus absque ejus auctoritate & conscientia triennium totum evangelizavit? Cur idem Paulus gloriatur sibi nihil eos qui videbantur esse aliquid, adeoque neque Petrum, aliquid contulisse? Cur idem non dubitat narrare *se in faciem* Petro Antiochiæ *restitisse, quia reprehensibilis erat*? Ita-ne vel cum Principe, vel de Principe suo quisquam subditus vel agere, vel loqui solet? An nunc isti ferrent Hostiensem verbi gratia Episcopum, hac se ratione adversus Papam gerentem? Gal. 2.9. Act. 8.14. Gal. 1.18. Gal. 2.11.

X. *De ciborum discriptione.*

Roma omni carnium esu & minimum duobus singularum hebdomadum diebus, & tota quadragesima, penitus interdicit. Scriptura definit *omnem* creaturam Dei bonam esse, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione *percipitur*; *& Deum cibos creasse ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis, qui cognoverunt veritatem.* Eadem edicit ne nos quisquam *judicet in cibo, aut in potu*; & qui *à cibis abstinere* jubent eos ait *attendere Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*, & qui ista tradent iis *discessionem à fide & mendaciloquium, & cauteriatum* 1. Tim. 4. 4. 3. Col. 2.16. 1. Tim. 4. 3, 2, 3.

teriatam conscientiam tribuit ; & *novissimis temporibus* venturos hujusmodi doctores diserte prædicit.

XI. *De cœlibatu clericorum.*

Docent Romani inhonestum & impurum esse eorum conjugium, qui Ecclesiæ & sacrorum ministri sunt. Scriptura testatur quosdam ex ipsis Apostolis conjugatos fuisse, ac nominatim Petrum ; ac ubi ea recenset, quæ sunt ad episcopatum necessaria, requirit, non ut celebs sit Episcopus, sed hoc duntaxat, ut *sit unius uxoris vir.*

Matth. 8.14. 1.Tim. 3.2.

XII. *De communione sub una specie.*

Romani *ex calice Domini bibere* nullum alium ex communicantibus patiuntur, nisi eum unum qui Eucharistiam, cui communicatur, confecit. Cæteros omnes, id est & totam plebem, & omnem clerum, præter conficientem sacerdotem, calice abstinere jubent, Scriprura eos, qui communicant alloquens, *Bibite* (inquit) *ex hoc* (nempe calice) *omnes*: & alibi in genere; *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Matth. 26. 27. 1 Cor. 11. 28.

XIII. *De immunitate Clericorum à potestatum temporalium jugo.*

Ait Scriptura; *Omnis anima potestatibus sublimiori-*

limioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Item: *Princeps Dei minister est tibi in bonũ. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram sed etiam propter conscientiam.* Sic alibi; *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Eadem narrat Paulum, summum Apostolum, & quo nemo inter Christianæ religionis ministros major unquam fuit, huic ordini à Deo instituto morigerantem apud Romani Imperatoris tribunalia *stetisse* judicandum; & inde Cæsarem ipsum *appellasse.* Romani vero omnes suos clericos, etiam minimos, omni hac subjectione, & quidem jure plærique diuino, *liberos*, solutosque esse pertendunt.

Rom. 13. 1.2.3.4.5.

1. Petr. c. 13. 14.

Act. 25. 10. 11.

CAP. XVI.

Refellitur insignis aduersariorum stropha; qua Scripturæ testimonia suæ fidei repugnantia sibi licere volunt quibusdam novarum distinctionum commentis eludere.

SIquis Scripturas ea, quâ par est, attentione atque diligentia legerit, alia non pauca reperiet cum Romana fide irreconciliabiliter pugnantia. Sed hoc quod exhibuimus, bre-

veac exiguum ſpecimen, noſtro inſtituto ſatis eſſe duximus. Non ſum neſcius adverſarios, ut hæc tela vel repellant, vel certe declinent, multa conari, multaſq; ad eam rē pæne innumerabiles atq: inexplicabiles diſtinctionū ambages adhibere. Sed primo iſtæ tam ſunt plerę q; abſurdæ, abſtruſæ, atque obſcuræ, ut percipi animo non queant; & ea, ad quæ illuſtranda afferuntur, ut plurimum craſſis, atque ineluctabilibus contradictionibus involvunt; ut ex iis intelligi poteſt, quæ ſolent iſti in tranſſubſtantiationis. & ſacrificii, & cultus religioſi, qui ſanctis & eorum imaginibus defertur, & aliis ſimilibus argumentis philoſophari. Huc & illud accedit, quod iſtæ Romanorum diſtinctiones ipſorum dogma verum eſſe omnes (ut in Scholis loquuntur) *ſupponunt*; ex uno ejus ſtudio ortæ, ac enatæ. Verbi gratia, antequam procuſum ab iſtis eſſet ipſum *tranſſubſtantiationis* dogma, nunquam in ullo terræ angulo auditum erat, quod hi portentoſa dogmatis ſui ineptia, atque abſurditate coacti ſunt ſomniare, & arripere, *corpus unum idemque quantitatem ſuam habere; non habere quantitatis ſuæ modum, in multis diverſiſſimis, longiſſimeque à ſe invicem diſtantibus locis eodem momento exiſtre; alterius corporis dimenſiones penetrare; ſuas partes habere, non in locis diverſis pro ſuo quamque modo fuſas, & extenſas, ſed in unius puncti ſpatiolum coactas, ac contractas; accidentia*, quæ ſcholæ vocant, *quædam ſine ullo ſubjecto exiſtere, albedinem ita tamen, ut nihil ſit album; rotunditatem, à qua nihil rotundum vere dici poſſit; dari ſub-*

ſtantia

ſtantialem mutationem, cujus id ad quod fit, & in quod deſinit, totum atque integrum in rerum natura ſexdecim & amplius ante ſæculis exiſteret, quam ipſa mutatio fieret. Ita antequam Sanctorum cultus & invocatio ab iſtis reciperetur, religioſi cultus *in latriam, duliam, & hyperduliam* diſtinctio inaudita apud hominum ſcholas erat. Itaque priuſquam his & ſimilibus diſtinctionibus uti poſſint, omnino flagitat ratio, ut ante omnia, dogmata ipſa conſtituantur, clariſque ac neceſſariis demonſtrationibus fundentur, unde eæ natæ ſunt, & extra quæ ullum neque in natura, neque in Scriptura præſidium, aut munimentum habent. Euchariſtiam non eſſe humanum corpus inde probo, quod ea hujuſmodi corporis quantitate caret; Non eſſe Domini corpus ex eo argumentor, quod Domini corpus in cœlis eſt. Reſpondent adverſarii Euchariſtiam humani corporis *quantitatem* vere *habere*; *modum quantitatis* non habere; hoc eſt eam quinque ſexve pedes longam eſſe, totam tamen ejus longitudinem unius palmi uncia contineri; Tum corpus Chriſti in cœlo eſſe *ſecundum modum exiſtendi naturalem*; in terra eodem momento eſſe ſecundum ipſam ſubſtantiam ſuam; ſed aliter; nimirum *modo quodam, qui tametſi verbis deſcribi vix queat, Deo tamen ſit poſſibilis.* Obſecro tuam fidem, quicquam-ne lucis hæ diſtinctiones afferunt rei, ad quam illuſtrandam exſpectabantur? Atqui illæ cogitationes noſtras involvunt, atque implicant; & tenebras ſpiſſant, ac geminant, po-

tius quam diſcutiunt. Denique nihil aliud ſi bene putes, præſtant, niſi quod id ipſum, de quo quæritur, repetunt. Quod enim corpus quantitatem ſuæ naturæ legitimam habeat; ejus tamen modum minime habeat; Quod idem hic hoc modo ſubſiſtat, alibi eodem momento alio; id omne uno tranſſubſtantiationis dogmate nititur; abſque quo foret, nemini umquam iſta in mentem veniſſent, aſyſtata, à ſenſu, à ratione, & ab ipſa rerum natura alieniſſima. Ergo hoc dogma, à quo uno, velut à ſuo fonte, omnia iſta profluxerunt, in primis, & ante omnia diligenter probandum eſt; quod niſi ſolide, clariſque & invictis documenris conſtitutum, fundatumque fuerit; apparet ſtare inconcuſſas, quas objeci rationes, vanumque ac futilem eſſe omnem iſtarum diſtinctionum apparatum. Dogma vero ex Scripturis probari non poſſe, & quæcunque ad id probandum loca adducuntur, caſſa & inefficacia eſſe, ſupra demonſtratum eſt. Nihil ergo neceſſe eſt iſtorum diſtinctiones expendere; quæ fruſtra, & præter rationis leges afferuntur, cum nondum id ſtet, quo uno illæ nituntur. Vt illud jam mittam me non aliqua cauſæ neceſſitate ſed ἐκ περιουσίας duntaxat, & ad cumulum probationis has Scripturæ & dogmatum Romanorum antitheſes inſtituiſſe. Hæc enim etſi cum ſacris litteris non ita pugnarent, ut pugnare evidenter oſtendimus, eo tamen ipſo ſatis refellerentur, quod nullo Dei verbo nituntur.

Atque ita ni fallor, abunde ex Scripturis de-

ſenſa,

fenſa, atque demonſtrata eſt noſtra fides. Oſtendimus enim Scripturas ea quidem clariſſime docere, quæ nos credimus ac profitemur; ea neque diſerte, neque conſequenter continere, ſed potius oppugnare, ac evertere, quæ à Romanis hominibus in religionem invecta repudiamus, ac contemnimus. Vnde manifeſtum eſt, quam falſa, quamque iniqua ſit quorumdam adverſariorum criminatio, qui paſſim apud imperitos jactant ne unum quidem ex iis fidei noſtræ capitibus, quæ controverſa ſunt, à nobis probari poſſe ex Scripturis. quod quidem eo impudentius nobis objiciunt, quod ipſi vere ſunt hujus, quod falſo nobis impingunt, criminis rei. Conſtat enim nullum ex Scripturis vel hactenus probatum eſſe, vel in poſterum probatum iri eorum de religione capitum, quæ adverſarii à ſe in religionem invecta nobis credenda obtrudunt. Deum optimum maximum ſupplex veneror, ut adverſariorum mentes aperire ſuaque cœleſti luce perfundere, noſtras in veritatis ſuæ cognitione magis magiſque confirmare, utriſque poſtremo pacis ac caritatis Spiritum largiri velit, quo iſtas de religione controverſias, ſi dirimere, vel componere non poſſumus, ea certe animorum lenitate, ac manſuetudine agamus, atque tractemus, quæ ſanctiſſimo Chriſti IESV nomine, quod utrique pariter profitemur, vere digna ſit. AMEN.

APPENDIX.

Exhibens duos Tractatus, ſive libellos, quorum mentio ſupra facta eſt, in prima parte hujus diſputationis, cap. VIII. pagina 48. 49. quoſque ſub Athanaſii nomine falſo editos (Athan. T. 2. pag. 309. & 325.) Patriarcha Photius Theodoreto, veluti vero auctori, vindicat atque aſſerit Bibliothecæ ſuæ Codice XLVI. ubi quæ exſtant ejus hac de re verba, hic Lectori inprimis exhibere placuit.

PHOTIVS Bibliothecæ Cod. XLVI.

ΘΕΟΔΩΡΗΤΟΥ Ἐπισκόπου κύρου λόγοι κζ. πρὸς διαφόρους θέσεις.

THEODORETI EPIſcopi Cyri contra Hæreticos libri XXVII. & Eraniſtæ libri III.

Epiſcopatũ adeptus A.D. 423. deceſſit poſt annum 465

ΑΝεγνώσθη Θεοδωρήτου ἐπισκόπου κύρου, λόγοι κζ. πρὸς διαφόρους θέσεις.

LEcti Theodoreti Epiſcopi Cyri libri ſeptem & viginti, adverſus varias propoſitiones.

ὧν ὁ

Pri-

Primus liber agit contra asserentes, unius fuisse naturæ Deum verbum, & primitias assumptas ex semine David; itemque adversus eos, qui Divinitati passiones adaptant.

ὧν ὁ μὲν Πρῶτος λόγος πρὸς τοὺς λέγοντας, μίαν φύσιν γεγενῆσθαι τὸν θεὸν λόγον, καὶ τὴν ἐκ σπέρματος Δαβὶδ ληφθεῖσαν ἀπαρχήν. καὶ προσάπτοντας τὰ πάθη τῇ θεότητι.

Secundus liber, cum eisdem expressius manum & validius conserit.

ὁ δὲ Δεύτερος πρὸς τοὺς αὐτοὺς γραφικώτερον συμπλεκόμενος.

Tertius, de eadem re disputat.

Καὶ ὁ Τρίτος περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως.

Quartus, sanctorum Patrum continet doctrinas de gloriosa dispensatione Domini nostri Christi Filii Dei.

ὁ δὲ Τέταρτος, διδασκαλίας τῶν ἁγίων πατέρων περιέχει περὶ τῆς ἐνδόξου οἰκονομίας τοῦ δεσπότου ἡμῶν χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.

Quintus, hæreticorum colligit opiniones, quas componit cū opinione eorum, qui in Christo duas naturas minimè agnoscunt, & ostendit magnam eos inter se affinitatem habere.

ὁ μέντοι Πέμπτος, αἱρετικῶν δόξας ἀθροίζει, καὶ παρατίθησιν αὐτὰς τῇ δόξῃ τῶν μὴ ὁμολογούντων ἐπὶ χριστοῦ δύο φύσεις: καὶ δείκνυσι πολλὴν πρὸς ἀλλήλους διασώζοντας τὴν συγγένειαν.

Sextus, ponit unum esse Filium Dominum nostrū Iesum Christū.

ὁ δὲ Ἕκτος διαλαμβάνει, ὅτι εἷς υἱὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ χριστός.

ὁ ἕβδομος ἐπιστολῆς ἐπέχει τόπον, ἐν οἷς τὸ πρῶτον συμπληροῦται βιβλίον.

ὁ δὲ ὄγδοος καὶ πρὸς τοὺς πλήθει μόνῳ κρίνοντας τὴν ἀλήθειαν.

ὁ ἔνατος πρὸς τοὺς λέγοντας, μὴ δεῖν ἀπὸ τῶν γραφῶν ζητεῖν ἢ λαλεῖν, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ παρ' ἑαυτοῖς πίστει.

ὁ ι. πρὸς τοὺς προβάλλοντας κακοήθως τὸ, ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο.

ὁ ια. Πρὸς τοὺς κωλύοντας δύο φύσεις ἐπὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως ἐκλαμβάνειν.

ὁ ιβ'. πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι ὁ λέγων ἄλλο μὲν τὸν λόγον, ἄλλο δὲ τὴν σάρκα, δύο υἱοὺς λέγει.

ὁ ιγ. πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι τὸ, καὶ ἄνθρωπον γινώσκειν τὸν χριστὸν, ταυτόν ἐστι τῷ καὶ εἰς ἄνθρωπον ἔχειν τὰς ἐλπίδας.

ὁ ιδ.

Septimus, Epiſtolæ locum tenet, quibus volumen primum abſolvitur.

Octavus verò, contra eos, qui multitudine dunxtaxat veritatem dijudicant.

Nonus, in eos qui jactant, non oportere è Scripturis aut loqui, aut quærere, ſed fidẽ ſuam ſibi ſufficere.

Decimus, In malo more objicientes illud, *Verbum caro factum eſt.*

Vndecimus, adverſus prohibentes duas capere incarnatione naturas.

Duodecimus, in eos qui aſſerunt dicentem, Aliud eſſe verbum, Aliud eſſe Carnem, duos filios profiteri.

Decimus-tertius, Contra dicẽtes, quod idem ſit Chriſtum hominem agnoſcere, atque in homine ſpes collocare.

De-

Decimus-quartus, Adversus enunciantes: *Passus est impassibiliter.*

ὁ ιδ. πρὸς τοὺς λέγοντας, ἔπαθεν ἀπαθῶς.

Decimus-quintus, in eos qui dicunt: *Passus est uti voluit.*

ὁ ιε. πρὸς τοὺς λέγοντας, ἔπαθεν ὡς ἠθέλησεν.

Decimus sextus, In asserentes, oportere voces ipsas accipere; non a. earum sensa, ut quæ omnium captum excedant, considerare.

ὁ ις'. πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι χρὴ δέχεσθαι τὰς φωνάς, καὶ μὴ σκοπεῖν τὸ δι' αὐτῶν σημαινόμενα, ὡς πάντας ὑπερβαίνοντα.

Decimus-septimus, Adversus dicentes: *Verbum carne passum est.*

ὁ ἑπτὰ καὶ δέκατος, πρὸς τοὺς λέγοντας, ἔπαθεν ὁ λόγος σαρκί.

Decimus-octavus, Contra dicentes, quales Iudæi pœnas daturi sunt, Deum minimè crucifixerunt?

ὁ ὀκτὼ καὶ δέκατος, πρὸς τοὺς λέγοντας, ποίαν δώσουσιν οἱ Ἰουδαῖοι δίκην, εἰ μὴ θεὸν ἐσταύρωσαν.

Decimus-nonus, In affirmantes Iudæum illum esse, qui Deum minimè crucifixum asserat.

ὁ ἐννέα καὶ δέκατος, πρὸς τοὺς λέγοντας, Ἰουδαῖος ἐστιν, ὁ μὴ θεὸν ἐσταυρῶσθαι λέγων.

Vicesimus, Contra dicentes Angelos eos, qui apud Abrahamum cibum sumpserunt, nullo modo carnis naturam attulisse.

ὁ εἰκοστὸς, πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι καὶ ἄγγελοι ἐπὶ τοῦ Ἀβραὰμ ἐσθίοντες, οὐ πάντως σαρκὸς φύσιν ἐπεφέροντο.

Vice- ὁ ἠπρ-

ὁ εἰκοστὸς πρῶτος πρὸς τοὺς σμικρύνοντας ἕκαστον θαῦμα, τῷ ἀρνεῖσθαι τὴν σάρκα.

Vicesimus-primus, Adversus eos, qui miracula singulatim eo extenuant, quod carnem negent.

ὁ εἰκοστὸς δεύτερος, πρὸς τοὺς ζημιοῦντας ἡμῶν τὸ γένος, τῷ μὴ λέγειν, ἐκ τῆς φύσεως ἡμῶν εἰλῆφθαι τὴν ἀπαρχήν.

Vicesimus-secundus, Adversus eos, qui humano generi damnũ irrogant, dum cõcedere nolunt ex nostra natura primitias sumptas esse.

ὁ εἰκοστὸς τρίτος, πρὸς τοὺς λέγοντας, πιστεύειν ἁπλῶς οἷς λέγουσι καὶ μὴ κατανοεῖν, τί πρέπον ἢ ἄπρεπές.

Vicesimus-tertius, Contra jactantes, Credere simpliciter iis, quæ dicuntur, & non attendere, quid decens sit, aut indecens.

ὁ εἰκοστὸς τέταρτος, πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάληψιν.

Vicesimus-quartus, Adversus tollentes naturarum differentiam, post Passionem & assumptionem.

ὁ εἰκοστὸς πέμπτος, ἀνακεφαλαίωσις τῶν κατὰ μέρος ῥηθέντων.

Vicesimus-quintus, summatim ea repetit, quæ per partes hactenus tradita sunt.

ὁ εἰκοστὸς ἕκτος, περὶ τῆς ὕστερον μηνυθείσης συνθέσεως. ἤτοι συνουσιώσεως.

Vicesimus-sextus, De post-manifestata compositione seu cõsubstantiatione.

ὁ εἰκοστὸς ἕβδομος, περὶ τοῦ κατὰ τὸν κοινὸν αἰ-

Vicesimus-septimus, De eo quod secun-

cundum communem hominem eſt, exemplo. Clarum verò vel ex ſolo argumento quinam ex ſupraſcriptis libris Orthodoxam corroborent doctrinam, quique ab ea diſcedant.

ἄνθρωπον ὑποδείγματος. δῆλον δὲ ἐκ μόνης αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως, ποῖοι τῶν εἰρημένων λόγων τὸ ὀρθόδοξον κρατύνουσι φρόνημα, καὶ τίνες ἐκκλίνουσιν.

THEODORETI TRACTATVS XVI.

Is autem extat inter opera ATHANASII *Tom. 2. p. 309.*

Adverſus eos qui dicunt, ſimpliciter eſſe (ſacrarum literarum) locutiones accipiendas, nec quid illæ ſignificent conſiderandum, cum omnium hominum captum excedant.

Πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι χρὴ δέχεσθαι τὰς φωνὰς καὶ μὴ σκοπεῖν τὰ δι' αὐτῶν σημαινόμενα, ὡς ἅπαντας ὑπερβαίνοντα.

VIx reperti ſunt, qui quæ hominis, ſunt maximè ſubvertere conentur omnia, maximoque id ſtudio agant, ut mente quidem homines rationali exuant, nec

Μόλις εὑρέθησαν οἱ πάντα ἀνατρέπειν ἀγωνιζόμενοι τὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σπουδάζοντες, μήτε τοὺς ἀνθρώπους ἔτι λογικοὺς

κυς τυγχάνειν, μήτε τὰ τῇ φύσει καὶ μετ' ἀκριβείας καταμανθάνειν. ἁπλῶς δὲ πᾶσι καὶ ἀδοκιμάστως συμφέρεσθαι ἐκ τοῦ δέχεσθαι τὰς τῶν ἱερῶν βίβλων φωνὰς ἀνεπισκέπτως καὶ ἀδιορθώτως, καὶ μὴ κατὰ τὸν εὐσεβῆ σκοπὸν καθ' ὃν ἐρρέθησαν. Εἰ γάρ τις, ὡς ἐκέλευσαν, μὴ σκοποίη τὰ δι' αὐτῶν σημαινόμενα, ἁπλῶς δὲ καὶ ἀβασανίστως ἀκούοι τῶν λεγομένων, λείπεται καὶ τοὺς Προφήτας, καὶ τοὺς Ἀποστόλους μάτην τῆς ἀκοαῖς ἐνηχεῖν. καὶ πάντα λόγον ἀνωφελῆ καὶ ἀνενέργητον μένειν, καὶ τοὺς ἀκούοντας μὴ δὲ μίαν ὄνησιν εἰς τὰ ταμιεῖα τῶν καρδιῶν παραπέμπειν. Οὕτω γὰρ προστάττουσι τοῖς μὲν ὠσὶν ἀκούειν, τῇ δὲ καρδίᾳ μὴ συνιέναι, μήτε τὸ ἀκόλουθον τῶν λεγομένων σκοπεῖν, κατὰ τὴν σατανικὴν ἀ-

nec res naturâ honeſtas accuratè perdiſcant: ſimpliciter verò omnibus re in nullam partem excuſsâ aſſentiantur, ſacrarum literarum oracula abſque ulla vel conſideratione vel correctione accipiendo, nec ad pium, quo edita ſunt ſcopum attendendo. Etenim ſi, quod illi volunt, verborum quis ſenſum non perpendat, ſed ſimpliciter, non examinatis verborum ponderibus, dictis inhæreat, relinquitur, tam Prophetarum quam Apoſtolorum voces fruſtrà aures perſonare noſtras: ſermonem eorum omnem inutilem & inefficacem eſſe: auditores denique ne minimum quidem fructum in cordium ſuorum arculas tranſmittere. Sic enim præcipiunt: auribus quidem audire: corde verò non intelligere, nec dictorum conſequentiam ſpectare: ſecundum comminationem

nem denunciatam: *Audietis auribus & non intelligetis.* Atque hinc est, cur & dictum illud, *Verbum Caro factum est*, simpliciter contendant audiendum, piè autem intelligendum minimè concedant: perinde ac si in ipsorum situm sit potestate, sententiam cujusque, non ad id, quod decet & utile est, sed quocunque illis fuerit visum, contorquere. Ego ne verbum audiam, & convenientem sensum non inquiram? Vbi igitur aut sermonis consequentia? aut audientis utilitas? Fortè & in brutorũ animantium naturam mutari homines præcipiunt? siquidem verborum sonum auribus arrepturi, ex sensu v. fructum nullũ animo sũt percepturi. Nõ hoc nobis Paulus, qui de hujusmodi rebus docuit, mandavit: non amplexandum aliquid sine ratione, sine judicio

ἀπειλήν. ἀκοῇ ἀκούσητε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε. Διὰ τοῦτο καὶ τὸ, Ὁ ΛΟΓΟΣ ΣΑΡΞ ΕΓΕΝΕΤΟ, ἀκούειν μὲν ἁπλῶς ἀναγκάζουσι, νοεῖν δὲ εὐσεβῶς οὐκ ἔτι ἐπιτρέπουσιν, ὥσπερ ἐξουσίαν ἔχοντες τὴν ἑκάστου διάνοιαν πρὸς τὸ δοκοῦν αὐτοῖς ἕλκειν, οὐ πρὸς τὸ πρέπον καὶ τὸ συμφέρον. Ἀκούω τοῦ ῥήματος, καὶ μὴ ζητήσω τὸ εὐπρεπὲς τοῦ φρονήματος; Ποῦ οὖν, ἢ τοῦ λόγου τὸ ἀκόλουθον ἢ τοῦ ἀκούοντος ὠφέλιμον, Τάχα καὶ πρὸς ἀλόγων ἕξεις μεθίστασθαι τοὺς ἀνθρώπους προστάττουσιν, εἴπερ μέλλοιεν ψόφον μὲν ῥημάτων, τῇ ἀκοῇ δέχεσθαι. κέρδος δὲ νοημάτων μηδὲν τῇ ψυχῇ προσίεσθαι. Οὐχ οὕτως Παῦλος ἡμῖν παρηγγύησεν, ὁ περὶ τοιούτων διδάσκαλος. οὐ δὲ μετέχειν τινὸς ἀλόγως

λόγως καὶ ἀδιακρίτως δεῖν ἀποφήναι, ἀλλὰ πῶς; τελείων ἐστὶν ἡ στερεὰ τροφὴ τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων, πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. τελειότητα συνεβούλευσε, γυμνασίαν ἐπῄνεσε, διάκρισιν ποιεῖν ἀσφαλέον καλοῦ τε καὶ κακοῦ συνεβούλευσε. Πῶς οὖν ἄν τις διακρίνει καλῶς δυνηθείη μὴ λαμβάνων τῶν λεγομένων σύνεσιν; Ὥσπερ γὰρ ὁ καχεξίας νοσῶν ἐν τῷ σώματι, οὐχ εὑρίσκει γνῶσιν τῶν ἐδεσμάτων τὴν αἴσθησιν· οὐδὲ ἀκριβῶς καταλαμβάνει τὴν ἑκάστου ποιότητα. οὕτω καὶ ἄνθρωπος ἀγύμναστα ἔχων, ἐκ ῥαθυμίας καὶ ἀλόγως τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια, γεύεται μὲν λόγων, οὐκ αἰσθάνεται δὲ τῶν τούτων δυνάμεως, οὐδὲ γινώσκει τὴν τῶν νοημάτων ποιότητα. μετέχει δὲ πάντων ἀνοήτως καὶ ἀφυλάκτως δίκην ἀλόγων, τὸ βλαπτὸν καὶ τὸ ὠφέλιμον, ὡς ἔτυχε, προ-

cio censuit. Quomodò ille autem? Perfectorum est solidus cibus, qui propter habitum, sensus habent ad boni malique discretionem exercitatos. Perfectionem commendavit, exercitationem laudavit, sobriam mali & boni discretionem suasit. Et quî poterit quis rectè res dijudicare? Si dictorum intelligentiam neglexerit. Vt anim qui ex vicioso corporis habitu laborat, verum ciborum sensum non habet; nec qualitatem cujusque accuratè deprehendit: ita qui ex ignauiâ vel bruto stupore inexercitatos sensus habet homo, gustat ille quidem verba, sed nec vires horum sentit, nec sententiarum cognoscit qualitatem: stultè verò & improvidè suscipit omnia, more irrationalium, noxia pariter & utilia, prout se obtule-

rint, admittens. Quin ne mundis quidem animalibus annumerari poteſt, quippe qui non ruminet, nec extenuatum rationalem cibum ad internum hominem tranſmittat, ſed indigeſtũ illũ & crudum abſumens detrimentum potius ex vitiosâ concoctione, quàm aliquod ad vitam confirmandam beneficium accipiat. Aut quis ignorat? qui ad cœnam ſuper potentioris menſa vocatus eſt, eum lege divina moneri, ut prudenter quæ appoſita ſunt dijudicet. Conſimili modo nec verba ſuo denudata ſenſu arripienda ſunt: ſed conſiderandum diligenter, quid Deo conveniat: quid nobis conducat, quid ferat veritas, quid legi cónſentiat, quid naturæ reſpondeat: quid fidei proprietas, quid ſpei firmitas, quid caritatis ſinceritas, quid nullis obnoxia injuriis gloria requirat: quid ſuperet invidiam,

τυχεῖ, προσιέμενος, καὶ μὴ δὲ ἐν καθαροῖς ἀριθμεῖσθαι ζώοις δυνάμενος, ὡς οὐ μειρυκάζων, καὶ λεπτυνομένην τὴν λογικὴν τροφὴν παραπέμπων εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀκατέργαστον αὐτὴν καὶ ἀκατάλληλον ἀναλίσκων, μᾶλλον δὲ βλάβην ἐκ τῆς περὶ τὴν πέψιν πλημμελείας, ἤ τινα πρὸς σύστασιν ζωῆς εὐεργεσίαν δεχόμενος. ἢ τις οὐκ οἶδεν, ὅτι καὶ τὸν κληθέντα δειπνεῖν ἐπὶ τραπέζης δυνάστου, νοητῶς τὰ παρατιθέμενα νοεῖν ἐγκελεύεται ὁ θεῖος νόμος; οὕτως οὐ δεῖ γυμνὰ νοημάτων ἁρπάζειν τὰ ῥήματα. σκοπεῖν δὲ ἐπιμελῶς τὸ πρέπον Θεῷ, τὸ συμφέρον ἡμῖν, τὸ δυνατὸν τῆς ἀληθείας, τὸ σύμφωνον τῷ νόμῳ, τὸ κατάλληλον τῇ φύσει, τὸ γνήσιον τῆς πίστεως, τὸ βέβαιον τῆς ἐλπίδος, τὸ ἀνόθευτον τῆς ἀγάπης, τὸ ἀνύβριστον

στον τῆς δόξης, τὸ κρεῖττον τοῦ φθόνου, τὸ τῆς χάριτος ἄξιον, ἅτινα πάντα σύνεστι μὲν ταῖς εὐσεβέσιν ἐννοίαις, καθὼς ἐγνωρίσθη ἐπὶ τοῦ, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. λείπει δὲ ὡς εἰκὸς ταῖς ἀτόποις καινοτομίαις, ἐπὶ τοιαύτας ματαιολογίας ἐξ ἀνάγκης καταφευγούσαις. Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, ὁ τὰς λέξεις δεχόμενος, καὶ μὴ καταμανθάνων τὰ σημαινόμενα, πῶς νοήσει τὰ μάχεσθαι ἀλλήλοις δοκοῦντα καὶ τὸ πρόχειρον; πῶς εὑρήσει τὴν ἁρμόζουσαν λύσιν; πῶς ἀπόκρισιν δώσει τοῖς ἐπερωτᾶν βουλομένοις; πῶς φυλάξει τὸ γεγραμμένον, τὸ εἰδέναι πῶς δεῖ ἡμᾶς ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποκρίνεσθαι?

vidiam, quid gratiâ dignum ſit. Quæ omnla in piis quidem meditationibus concurrunt, quemadmodum in explicatione dicti, *Verbum Caro factum eſt*, perſpectum) deſunt verò, ut par eſt, novationibus abſurdis, ad inſana ejuſmodi dogmata neceſſariò confugientibus. Summa hujus orationis eſt: qui dictiones arripit, ſignificata verò earum non perſcrutatur, quomodo is, quæ inter ſe pugnare videntur, promptè intelliget? quomodò appoſitam ſolutionem inveniet? quomodo interrogaturis reſpondebit? quomodò tuebitur illud, quod ſcriptum, videndum quomodo oporteat nos unicuique reſpondere?

THEO-

THEODORETI TRACTATUS XXIII.

Cujus mentio ſupra facta eſt, pag. 51. Is extat inter ATHANASII opera T. 2. p. 325.

Πρὸς τοὺς κελεύοντας ἁπλῶς πιστεύειν τοῖς λέγουσι, καὶ μὴ κατανοεῖν τὸ πρεπὸν ἢ ἀπρεπές.

Πολλῶν καὶ δεινῶν ὑπαρχόντων δογμάτων, ἐπεισήγαγε τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων, εἰς ἐπικίνδυνον ἀπάτην τῶν δεχομένων ὁ μισόκαλος δαίμων, οὐκ οἶδ' εἴ τι τοιοῦτον ἐν τοῖς ἀνέκαθεν χρόνοις ὤδινεν, οἷον νῦν. Ἑκάστη μὲν γὰρ τῶν ἀπὸ τῶν αἱρέσεων τῆσδε ἢ τῆσδε τῶν

κλά-

Adverſus eos, qui volunt, ſimpliciter, iis quæ dicta ſunt, credendum, nec conſiderandum quid conveniat, & quid non conveniat.

ETſi multa & horrenda dogmata ſint, quæ in hominum genus ille omnis honeſti oſor diabolus invenit, ut periculoſis erroribus aſſentientes involveret: tamen haud ſcio an ſuperioribus temporibus hujuſmodi quid parturiverit quale nunc parturit. Nam quæ majorum memoriâ viguerunt hæreſes

earum quæq; ſuum quendam ſingularem errorem procreavit. At quæ nunc noviſſima omnium inventa eſt, ea cunctas renovavit, cunctaſqueſuperavit, ac ſupra omnem malorum ortum oſtentavit. Verè parturivit iniquitatem, concepit laborem & peperit improbitaté. Parturivit impietatis propoſitum: concepit malæ doctrinæ inſtituta, in quibus & alii errarunt: peperit multifarium illud malum ſuo quidvis arbitratu innovandi. Quin etiam ut omnes ad unum ſe ſequantur ſatis imperioſè excipit. Amplectimini, inquit, ſimpliciter quæ dicuntur, nec inquirat quiſquam veſtrum, quid in iis conveniens ſit, quid inconveniens. Ac fidem nominat inconſideratam ideóque noxiam aſſenſionem atque approbationem inconſtantiũ, nulliſq; demõſtrationibus ſuffultorum dogmatum. Credamne ſine judicio? nec inquirã, quid aut fieri poſſit aut utile

πλάνης γένους μητήρ. ἡ δὲ νῦν μετὰ πάσας ἐφευρεθεῖσα πάσας ἀνενεώσατο, καὶ πάσας ὑπερεβάλλετο, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν τὴν τῶν κακῶν γένεσιν ἐπεδείξατο. Ὄντως ὠδίνησεν ἀδικίαν, συνέλαβε πόνον καὶ ἔτεκεν ἀνομίαν. Ὠδίνησε πρόθεσιν ἀσεβείας, συνέλαβε τὴν ἄλλοις πλανηθεῖσαν πρόθεσιν κακοτεχνίας. ἔτεκε τὸ ποικίλον κακὸν τοῦ αὐτοῦ ἰδιόμου καινοτομίας, καὶ πάντας ἀκολουθεῖν ἐπιτάττει μετὰ πολλῆς ἐξουσίας. δέχεσθε, φησὶν, ἁπλῶς τὰ λεγόμενα, καὶ μηδεὶς ἐξεταζέτω τί πρέπον ἐν αὐτοῖς, ἢ τί ἀπρεπές· καὶ πίστιν ὀνομάζει τὴν ἀβασάνιστον ἐπὶ τοῖς ἀστάτοις καὶ ἀναποδείκτοις ἐπὶ βλάβῃ συγκατάθεσιν. Ἀλόγως πιστεύσω καὶ μὴ

ἐξετάσω τί δυνατὸν, ἢ συμφέρον, ἢ πρεπὸν, ἢ Θεῷ φίλον, ἢ τῇ φύσει κατάλληλον, ἢ τῇ ἀληθείᾳ σύμφωνον, ἢ τῷ σκοπῷ ἀκόλουθον, ἢ τῷ μυστηρίῳ ἁρμόδιον, ἢ τῆς εὐσεβείας ἄξιον; Καὶ τί κέρδος ἔξω; ἢ τίς ὄνησις τῇ διανοίᾳ τῇ μηδὲν τούτων λογιζομένῃ, ἀλλ' ἀκοὴν μὲν τῷ ἤχῳ τῶν ῥημάτων βάλλεσθαι, ψυχὴν δὲ μηδὲ μίαν τῶν λεγομένων σύνεσιν δέχεσθαι; τοῦτο παρὰ πᾶσι τοῖς ἀλλοτρίοις, τῆς πλάνης καὶ τῶν κακῶν ὅλων αἴτιον γίνεται. Τίς γὰρ τῶν πολεμίων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας οὐκ ἀξιοῖ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις ἀκρίτως πιστεύειν; κἂν Ἕλληνα εἴπῃ, κἂν ἄλλου τοιούτου τινὸς κληρονόμον, οὐχὶ παραιτεῖται τὴν ἐξέτασιν, ἵνα φύγῃ τὸν ἐ-

utile sit: aut deceat: aut Deo gratum: aut naturæ congruum: aut veritati consonum: aut ex proposito consequens: aut mysterio respondens: aut pietate dignum sit? Et quæ merces extra? aut quis fructus redeat ad mentem nihil horum ad rationis calculos revocantem? Sed nimirum hæc una adversariis omnibus erroris & malorum universorum causa est, quod aures quidem verborum sono habent patentes: eorum verò quæ dicuntur intelligentia, animo nullam concipiunt. Quis enim est eorum, qui se Catholicæ Ecclesiæ hostes profitentur, qui ut re in nullam partem discussâ, fides suis habeatur dictis, non postulet? sive Græcum mihi nominaveris: sive Manichæum: sive Arium: sive Apollinarium: sive aliorum horum alicujus asseclam. Nonne deprecatur examen, ne convincatur erroris?

Nonne alia quidem ex ſuo cerebro eructando: alia de divinæ Scripturæ cõgruentiâ amputãdo, & ad ſcopum ſuum detorquendo, demonſtrationes profert, quas nemini curioſè perſcrutandas eſſe, ut optat ita affirmat? Quod ſi omnibus ſimpliciter aures accommodaverimus, & nec enaſcentem ex eorum dictis, abſurditatem confutaverimus, nec dogmatum pugnæ, quæ ex perverſa illorum interpretatione oritur, ſolutionem efflagitaverimus, quis in poſterum ampliùs veritatis viam inveniet? quis non facile in præcipitium hæreticorum dogmatum incidet? non conſiderans novorum dogmatum inconvenientiam, nec veritatis exigens convenientiam. Quid credam corde ad juſtitiam? quid loquar ore ad ſalutem? cùm mihi malignè

ἔλεγχοι; Οὐ ητὰ μὲν οἴκοθεν ἐρευγόμενος, τὰ δὲ ἐκ τῆς θείας τῶν γραφῶν ἁρμονίας ἀποκόψας, καὶ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν ἑλκύσας, προβάλλει μὲν κατασκευὰς ἃς ὡς βούλεται μηδένα χρῆναι πολυπραγμονεῖν ἀποφαίνεται. Εἶτα ἂν πᾶσιν ἁπλῶς τὰς ἀκοὰς ὑποθήσωμεν, καὶ τὴν ἀνακηρύττουσαν ἀφ' ὧν λέγουσιν ἀτοπίαν μηδ' ἐλέγξωμεν, μήδε τὴν λύσιν τῆς τῶν δογμάτων μάχης τῆς φυομένης διὰ τῆς κακῆς ἑρμηνείας αὐτῶν ἀπαιτήσωμεν. καὶ τίς εὑρήσει λοιπὸν ἔτι ἀληθείας ὁδόν; τίς οὐκ ἐμπεσεῖται ῥαδίως εἰς κακοδοξίας κρημνόν, μὴ σκοπῶν τῆς καινοτομίας τὸ ἀπρεπές, μὴ δὲ ἀπαιτῶν τῆς ἀληθείας τὸ πρέπον. τί πιστεύσω τῇ καρδίᾳ εἰς δικαιοσύνην; τί λαλήσω τῷ στόματι εἰς σωτηρίαν ὅταν, προβάλωσι κακοήθως τό, ὁ πέμ-

πέμψας με ὁ πατὴρ μείζων μού ἐστι; ἁπλῶς δέξομαι; προπετῶς συνθῶμαι; τολμηρῶς ἀποφαίνωμαι τοῦ πατρὸς ἥττον τὸν υἱὸν, καὶ μηδὲν ὅλως λογίσομαι, μήθ᾽ ὅτι τῆς οἰκονομίας ὁ λόγος, μήθ᾽ ὅτι τοῦ αὐτοῦ φωνή; Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ, ἵνα τιμῶσι τὸν υἱὸν καθὼς τιμῶσι τὸν Πατέρα. καὶ ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν Πατέρα, καὶ ἄλλα δὲ μυρία, τὰ τὴν ἰσότητα καὶ τὴν ὁμοτιμίαν ἐν πᾶσι γνωρίζοντα; Εἰ οὖν μηδὲν δεῖ τῶν ἀνακυπτόντων ὁρᾶν, μήτε τὸν πρέποντα λόγον ἀποδιδέναι περὶ τῶν ἀνακυπτόντων καὶ ἐναντίων εἶναι δοκούντων, πῶς σύμφωνα δείξομαι τὰ τοσούτων ἀλλήλων κατὰ τὸ πρόχειρον τῆς ἀπαγγελίας ἀπᾴδοντα; πῶς αὐτὸς φανήσεται, ὁ μονογενὴς, καὶ πρωτό-

objeceris illud: Pater qui misit me major me est? Ergo simpliciter accipiã? præcipitanter igitur assentiar? audacter Filium Patre inferiorem pronunciabo, & nihil omninò perpendam neque quod Oeconomiæ atque dispensationis iste sermo est, neque quod alibi idem dicit: Ego & Pater unum sumus: Et, ut honorent Filium sicut honorant Patrem: &, Qui videt me, videt & Patrẽ: Et, quæ infinitita sunt alia, quæ æqualitatem æqualemque Patris & Filii honorem in omnibus declarant. Si igitur nihil eorum quæ indè emergunt, expendendum est, si nec ratio eorum quæ emergunt & contraria videntur, reddenda est conveniens, quomodò conciliabimus quæ prima pronunciationis fronte inter se discrepãt? Quomodo idem declarabitur & unigenitus & primogenitus? cùm mani-

nifestum sit omnibus, duo hæc relata ad unum, eumque in unâ consideratum naturâ, minimè inter se convenire. Etenim unigenitus, cui ut unigenito fratres nulli sunt, non potest appellari primogenitus. Paulus enim primogenitum dixit in multis fratribus. Nec primogenitus igitur, fratres, ut verisimile, est habens, unigenitus vocatur ampliùs. Rursus idem ille & novissimus dicitur & æternus: Iesus Christus heri & hodie idem est in sempiternum. Hic alterum alteri adversatur. Si novissimus est, quomodò æternus? Si æternus, non igitur novissimus. Iam illa: Sine patre, sine matre, sine majoribus, Annon manifestè pugnant cum aliis, ex quibus discimus & Patrem ipsum in cœlis habere, & matrem in terrâ, & majores ejus à celebri-

τότοκος, παντὶ δήλου τυγχάνοντος, μὴ συμβαίνειν ἀλλήλοις τὰ δύο περὶ τὸν ἕνα τὸν ἐν μιᾷ θεωρούμενον φύσει; Ὁ μὲν γὰρ μονογενὴς μὴ ἔχων ἀδελφοὺς, οἷα μονογενὴς, πρωτότοκος καλεῖσθαι οὐ δύναται. Πρωτότοκον γὰρ εἶπεν ὁ Παῦλος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Ὁ δ' ἂν πρωτότοκος, ἔχων, ὡς εἰκὸς, ἀδελφοὺς, μονογενὴς οὐκ ἔτι προσαγορεύεται. πάλιν ὁ αὐτὸς καὶ πρόσφατος λέγεται καὶ αἰώνιος. Ἰησοῦς Χριστὸς, χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Τὸ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικαθίσταται. Εἰ πρόσφατος, πῶς αἰώνιος; εἰ αἰώνιος, πάντως οὐ πρόσφατος. τὸ δὲ ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, πῶς οὐ προδήλως τοῖς ἄλλοις μάχεται, δι' ὧν μανθάνομεν καὶ πατέρα αὐτὸν ἔχειν ἐν οὐρανοῖς, καὶ μητέρα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ γενεαλογεῖσθαι σαφῶς παρὰ

τοῖς

τοῖς ἐνδόξοις Εὐαγγελισαῖς; εἰ ἀπάτωρ, πῶς οὐρανίου πατρός; Εἰ ἀμήτωρ, πῶς ἐκ τῆς παρθένου μητρός; Εἰ ἀγενεαλόγητος, πῶς βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ; Τοσούτων οὖν ὄντων καὶ πολλῷ πλειόνων τῶν ὅλως ἀλλήλοις ἀσυμφώνων δοκούντων, εἶναι τί ἄρα κελεύουσιν ἡμᾶς ἀβασανίστως δέξασθαι; τί δὲ ἀπώσασθαι; Οὐ γὰρ οἷόν τε πᾶσιν ὁμοίως ἕπεσθαι τοὺς μὴ τὴν ἁρμόζουσαν λύσιν τῆς νομιζομένης διαφωνίας εὑρίσκοντας. Εἰ τὸ μονογενὴς ἀληθές, τὸ πρωτότοκος οὐ τοιοῦτον. Εἰ τὸ πρωτότοκος ἀψευδές, τὸ μονογενὴς ἐναντίον. Εἰ τὸ χθὲς καὶ σήμερον ὡμολόγηται, τὸ αἰώνιον οἴχεται. εἰ δὲ τὸ ἀπάτωρ ἕστηκε, τὸ ἔχειν πατέρα λυθήσεται. Εἰ τὸ ἀμήτωρ πέπηγε, τὸ μητέρα ἔχειν ἀνατραπήσεται. Εἰ τὸ ἀγενεαλόγητον πέπηγε, πῶς

bus Evangeliſtis diſertè nominatos? Si ſine Patre, quomodo Patris cœleſtis Filius? Si ſine matre, quomodo ex Virgine matre? ſi ſine majoribus, undè generis Ieſu Chriſti enumeratio? Cũ igitur tot ac tanta ſint & multò plura, quæ inter ſe videntur pugnare, quidnam illi non inexploratum jubent accipere, quid rejicere? Neque enim omnibus æquè aſſentiri poſſunt, qui apparentis diſcrepantiæ convenientem ſolutionem non inveniunt. Si verum illud: Eſt unigenitus, falſum hoc: Eſt *Primogenitus*. Si verum hoc: *Eſt Primogenitus*, falſum contra, eſt *unigenitus*. Si profitemur illud: *Heri & hodie* evaneſcit alterum, *Sempiternum*. Si ſtat illud, *Sine Patre*, corruit alterum, quod *Patrem* habeat. Si manet ac fixum *eſt hoc*: ſine matre, labat, illud,

habere matrem. Si placuit illud, ſine majoribus, quomodo attendimus Genealogiæ? Si firmum eſt illud , quod neque initium , neque finem dierum habeat, quomodo intelligemus hoc? quod & initium & finem dierum indicat: Ieſu Bethlehemæ in Iudæâ nato temporibus Regis Herodis: Crucifixo autem ſub Pontio Pilato? En tibi & initium dierum & vitæ finem. Quid igitur faciemus? Si quis infideliũ Scripturam Sanctam de dictis contrariis accuſans, rationem contrarietatis apparentis, à nobis exigat, dicemus, omnibus crede? Et quis non reſiliens riſerit, quippe qui nullo modo poſſit ea tanquam fide digna amplexari, quę inter ſe pugnant, nec ſolutionem ullam admittunt. Duorum enim contrariorum dictorum neceſſe eſt alterum falſitatis convinci. Quid ad hoc dicemus? Num & nos, rogati ut nullâ de-

τῇ γενεαλογίᾳ προσέξομεν; εἰ τὸ μὴ ἔχον ἀρχὴν ἡμερῶν, ἢ τέλος βέβαιον, πῶς νοήσομεν τό, τὴν ἀρχὴν ἡμερῶν καὶ τὸ τέλος μηνύον. τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας ἐν ἡμέραις Ἡρώδου, τοῦ βασιλέως, σταυρωθέντος δὲ ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου; ἰδοὺ καὶ ἀρχὴ ἡμερῶν καὶ ζωῆς τέλος. τί οὖν ποιήσωμεν, εἴ τις τῶν ἀπίστων ἡμᾶς ἀπαιτοίη λόγον, κατηγορῶν τῆς ἁγίας γραφῆς, ὡς ἐναντία λεγούσης; εἴπωμεν. πίστευον πᾶσι. καὶ τίς οὐκ ἂν ἀποπηδήσας καταγελάσειεν; οὐδαμῶς οἷός τε ὢν τὰ ἀλλήλοις μαχόμενα, καὶ μηδεμίαν λύσιν λαμβάνοντα, ὡς ἀξιόπιστα δέχεσθαι. Δυό γὰρ ὄντων ἐναντίων λόγων, ἀνάγκη τὸν ἕτερον ψευδῆ διελέγχεσθαι, τί πρὸς ταῦτα ἐροῦμεν; ἢ καὶ ἡμεῖς ἀπαιτούμενοι τὸ πιστεύειν δόγμασιν ἀναπο-

δείκτοις καὶ ἀσυστάτοις αἱρετικῶν ἢ Ἑλλήνων, καὶ τὴν τοιαύτην πρότασιν συνθησόμεθα; Ἀλλ' ἄπαγε, οὔτε ἀσύστατα τὰ ἡμέτερα, οὔτε ἀλλήλοις μαχόμενα, καθὼς ἐρρέθη παρὰ τῶν ἁγίων νοούμενα. ἐρρέθη δὲ τὰ μὲν πρός τὴν γνωσθεῖσαν ἡμῖν οἰκονομίαν. τὰ δὲ πρὸς τὴν ἀκατάληπτον τοῦ λόγου οὐσίαν, καὶ πάντα ἐνεῖτκεῖται σύμφωνα καὶ ἀκόλουθα, περὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τὰς δύο φύσεις ἐκλαμβανόμενα. ὡς εἶναι τὸ μὲν πρόσφατον τῆς σαρκός, τὸ δὲ αἰώνιον τοῦ Θεοῦ. τὸ μὴ ἔχειν ἀρχὴν ἡμερῶν, ἴδιον τοῦ λόγου. τὸ γεννηθῆναι ἐν ἡμέραις Ἡρώδου οἰκεῖον τῆς ἀπαρχῆς. Τὸ πάντη ἀγενεαλόγητον ἐπὶ τῆς προαιώνιων ἐκ πατρὸς ὑπάρξεως τοῦ υἱοῦ. τὴν γὰρ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; τὸ δὲ γενεαλογεῖσθαι σαφῶς

monſtratione probatis, inconſtantibuſque hæreticorum aut Græcorum dogmatibus credamus, ejuſmodi propoſitioni aſſentiamur? Sed apage. Neque enim noſtra, ſi quô à ſanctis dicta ſunt, ſenſu accipiantur, vel non conſiſtere poſſunt, vel ſibi ipſis ſunt contraria. Dicta autem ſunt illa quidem reſpectu cognitæ nobis Oeconomiæ, atque diſpenſationis: hæc verò reſpectu incomprehenſibilis *Verbi eſſentiæ*. Atque hoc modo omnia inter ſe conſentiunt, ſibique ſunt conſequentia, de unô & eodem in duabus naturis conſiderato accepta, ut Chriſtus intelligatur noviſſimus eſſe, ſecundum Carnem, æternus ſecundum Deitatem: Non habere initium dierum proprium verbo, natus eſſe in diebus Herodis proprium primitiis. Sine majoribus ullis eſſe, pertinet ad æternam Filii ex Patre exiſtentiam: nam generationem ejus quis enarrabit?

Mâ-

Majores verò, qui recenseri possunt, habere, manifestè ad carnalem ipsius nativitatem pertinet. Sic & unigenitus est secundum Verbi essentiam: & primogenitus secundum incarnationis dispensationem. Sic adversariis quoque aut de veritate persuadebimus: aut victoriã extorquebimus: Sic Scripturæ sanctæ consensum ostendemus : Sic mysterii gloriam legitimè prædicabimus: Sic congruentem fidei plenitudinem in animabus nostris congeremus, nec sine verbo credentes, nec sine fide loquentes.

ἐπὶ τῆς κατὰ σάρκα γενέσεως τοῦ αὐτοῦ. οὕτως καὶ μονογενὴς κατὰ τὴν τοῦ λόγου οὐσίαν, καὶ πρωτότοκος κατὰ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν. οὕτω καὶ τὸν ἐχθρὸν ἢ πείσομεν ἢ νικήσομεν, καὶ τὴν ἁγίαν γραφὴν σύμφωνον ἀποδείξομεν, καὶ τοῦ μυστηρίου τὴν δόξαν ἐνθέσμως κηρύξομεν, καὶ τὴν ἁρμόζουσαν πληροφορίαν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν θησαυρίσομεν, μήτε χωρὶς λόγου πιστεύοντες, μήτε χωρὶς πίστεως λέγοντες.

INDEX

INDEX CAPITVM.

PARS PRIMA.

pluri-

PARS SECVNDA.

PARS TERTIA.

CAP.

FINIS.